



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### **Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### **About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

Br 73.2.7

## Harvard College Library



### FROM THE BRIGHT LEGACY

One half the income from this Legacy, which was received in 1880 under the will of


**JONATHAN BROWN BRIGHT**

of Waltham, Massachusetts, is to be expended for books for the College Library. The other half of the income is devoted to scholarships in Harvard University for the benefit of descendants of


**HENRY BRIGHT, JR.,**

who died at Watertown, Massachusetts, in 1686. In the absence of such descendants, other persons are eligible to the scholarships. The will requires that this announcement shall be made in every book added to the Library under its provisions.






*John T. Mackay*



**SCRIPTORES MONASTICI.**

**GALFRIDI LE BAKER DE SWINBROKE  
CHRONICON.**





Geoffrey Baker of Swinbrook  
GALFRIDI LE BAKER DE  
SWINBROKE,  
CHRONICON ANGLIÆ

TEMPORIBUS EDWARDI II ET EDWARDI III.

NUNC PRIMUM

EX UNICO CODICE MSTO BODLEIANO

*John Allan*  
EDIDIT J. A. GILES,

IN JURE CIVILI DOCTOR,

ET COLL. CORP. CHRISTI OXON. OLIM SOCIUS.


LONDINI:

APUD JACOBUM BOHN, 66, ST. JAMES'S STREET.

M DCCC XLVII.

Br 73.2.4<sup>7</sup>

~~3436.24~~



*Bright fund.*

OXONII:  
EXCUDEBAT I. SHRIMPTON.


45-33  
2642  
1

TO THE  
RIGHT HONOURABLE THE LORD LANGDALE,  
MASTER OF THE ROLLS,

IN ACKNOWLEDGMENT OF HIS LORDSHIP'S COURTESY IN PERMIT-  
TING THE EDITOR TO USE THE MANUSCRIPTS IN HIS CUSTODY,  
THIS CHRONICLE OF ENGLAND DURING THE REIGNS OF EDWARD  
II AND EDWARD III, IS RESPECTFULLY DEDICATED.

J. A. G.

*Bampton, Sept. 1846.*



## PREFACE.

THE chronicle, which is published for the first time in this volume, is found in a manuscript belonging to the Bodleian Library [MS. Bodley 761.] The date of the handwriting, which is on paper, is about A.D. 1400, and consequently immediately following the events which it relates.

The Bodleian MS. seems to have been bound up hastily, or at least inaccurately: for the chronicle, which we here publish, is found in two different parts of the volume.

At page 49 is one part of it bearing the title: *Chronicon ab exordio mundi adusque A.D. 1350 authore Galfrido le Baker de Swynbroke*. This portion of the original MS. forms the subject of pages 17—45 of the present volume.

At page 99 is the other portion, entitled, *Croniculum Galfridi le Baker de Swynbroke usque A.D. 1356*, and occupies the remainder of the present volume from page 46 to the end.

These two parts, however, are manifestly to be considered as forming one entire work; for

the monastic writers, like literary men of the present day, no doubt often occupied their leisure in a desultory kind of writing often abounding in repetitions, and treating of the same thing over and over again ; and not unfrequently disjointed and incoherent with itself, as writers still do, when they amuse themselves in their study without any immediate thoughts of publishing what they write, and without much attempt to reduce what they put on paper into a uniform and harmonious composition.

Of the subject-matter contained in this chronicle it is hardly necessary to say much. The period of our history which it embraces takes in the great battles of Bannockburn, Cressy, and Poitiers, and the accounts which are here contained of those celebrated engagements are of the greatest possible interest, as they evidently are of the greatest authenticity, and are undoubtedly derived from the oral testimony of an eye-witness.

There is, however, a literary difficulty concerning this chronicle, which the editor is unable to solve. Camden, in his *Anglica, Hibernica, &c.* pp. 593—693, published a short chronicle under the name of Thomas de la

More, concerning the reign of Edward the Second. In subject, this chronicle coincides minutely with the portion of Swinbroke's chronicle which treats of the same period: and in language also the two chronicles are frequently almost identical. It seems hardly possible to suppose that the author of one of these chronicles could have written without seeing the other.

But the chronicle of Thomas de la More is more concise than that of Geoffrey le Baker de Swinbroke, who says expressly [*see page 85 of this volume*] that his own work is a Latin translation from the French of Thomas de la More. It would seem, therefore, that the shorter chronicle published by Camden is an abstract or an altered copy of a portion of the present chronicle.

As that work, however, will shortly be republished uniformly with the present, the reader will then have an opportunity of comparing the two together.

As regards the author, Geoffrey le Baker, he is styled "of Swinbroke," and no doubt was a native of Swinbroke, near Burford, in Oxfordshire, where there is still standing a church, containing a most beautiful chancel

and rood-loft. But the name of the chronicler is forgotten, and no traces remain of his family. Perhaps further information may be obtained about him from the records of the religious house of Oseney, of which he was a canon.

It is hoped that the text of this volume will be found as correct as it was possible to make it. The original MS., which is unique, is excessively faulty, and in the opinion of the Rev. Dr. Bandinel and H. O. Coxe, M.A., librarians of the Bodleian—no mean judges in such matters—one of the worst written and most unsatisfactory volumes that they ever tried to decipher.

The passages introduced in *Italic* letters between brackets at page 116 and elsewhere, are marginal notes in the original MS.

In proper names especially great difficulty is experienced. The careless scribe has absolutely made even less distinction between *n* and *u* than is usual with copyists, and the reader is therefore cautioned, that he must exert all the devices which palæography can supply, if he wishes to obtain the correct reading of a difficult word: though I believe that a fresh collation of the MS. would hardly, in a single




instance, enable him to suggest a correction of a proper name, which the printed text will not supply without it. To ensure caution in this respect I have left several different modes of spelling the same name, because I was uncertain which was the right mode. Until an uniform system is established for the spelling of proper names of persons and places, it will be the duty of editors to deal cautiously with the different modes which they find so often adopted, not only in the same book, but even in the same page.

The same principle, of following the original MS., has also been adopted, in three or four cases of words, not proper names, which neither the editor nor the two gentlemen above referred to could with all their ingenuity decipher.

In a few passages only dotted spaces have been introduced, where blanks occur in the original.

J. A. GILES.

*Bampton, Oxfordshire,*  
*Sept. 20, 1846.*



WILL BE PUBLISHED,

WITHIN THE NEXT TWELVE MONTHS,

*PETRI BLESENSIS OPERA,*

*In Four Volumes 8vo. price 2l. 8s.*

(Forming Vols. 50 to 53 of PATRES ECCLESIE ANGLICANÆ.)

BY THE REV. DR. GILES, LATE FELLOW OF C. C. C. OXFORD.

---

Of this Series are already published the following ;

ALDHELMI OPERA, 1 vol. 12s.

BEDÆ VENERABILIS OPERA MISCELL., 6 vols. 3l.

EJUSDEM COMMENT. IN SCRIP. SAC., 6 vols. 3l.

BONIFACII OPERA, 2 vols. 1l. 1s.

LANFRANCI OPERA, 2 vols. 1l. 4s.

ARNULFI OPERA, 1 vol. 10s. 6d.

VITA SANCTI THOMÆ CANTUAR. AB E. GRIM, J. SALISB.

ET ALIIS SCRIPTA, 2 vols. 1l. 4s.

EPISTOLÆ S. THOMÆ CANTUAR., 2 vols. 1l. 4s.

GILBERTI FOLIOT EPISTOLÆ, 2 vols. 1l. 4s.

HERBERTI DE BOSHAM OPERA, 2 vols. 1l. 4s.


and there remain still to be published,

ALCUIN, DUNSTAN, ANSELM, and JOHN OF SALISBURY.

Seven years of almost unremitting labour has enabled the Editor to complete more than one half of his undertaking. In order in some measure to lighten the burden of so heavy a task which has been carried on by him, totally unaided by either Publishers or literary societies, and to give the public a reasonable hope that it will be brought to a successful termination, it has been deemed advisable to give the text only of each author, reserving the concluding volume or volumes for all such historical discussions, notes, chronological tables, indices, and other matter, as may serve to give unity to this comprehensive and national publication.

It is confidently believed, that no single fragment of the remains of these writers will be found to remain in MS. which the Editor has not either included in this edition, or at least given good reason for having omitted it.

Two hundred and fifty copies will be printed. Subscribers' names for the works of PETER OF BLOIS will be received by the Editor ; by *Mr. Parker, Oxford ; Messrs. Deighton and Son, Cambridge ;* and by all Booksellers.



**GALFRIDI LE BAKER DE  
SWINBROKE**

1326

**CHRONICON AB EXORDIO MUNDI AD ANNUM  
DOMINI 1350.**

---

IN primordio temporis ante omnem diem Deus pater in verbo et per verbum suum fecit ex nihilo rerum omnium materiam, quam postea per 6 dies varios distinxit atque ornavit. Tribus itaque primis diebus eam disposuit, tribusque sequentibus eandem ornavit, septimo die ab omni opere quod fecerat requievit.

Primo namque die fecit Deus lucem in modum lucidæ nubis, quæ vice solis ortu suo diem faceret, et occasu suo noctem induceret, et cum ista luce primo die creati sunt angeli.

Secundo die fecit Deus firmamentum in medio aquarum, id est quandam exteriorem mundi superficiem ex aquis congelatis instar crystalli solidatam et perlucidam, intra se cætera sen-

sibilia continentem. Et dicitur firmamentum non tantum propter soliditatem, sed quia terminus est aquarum quæ super ipsum sunt firmus et intransgressibilis. Dicunt quidam quod isto die Lucifer angelus atque alii qui suo consilio consenserunt, de cœlo sunt ejecti, et ideo feria secunda de angelis qui remanserunt in aliquibus ecclesiis missa celebratur.

Tertio die congregavit Deus aquas, quæ sub firmamento erant, in unum locum et tunc apparuit arida, id est terra. Produxitque eodem die herbam virentem et facientem semen, lignumque pomiferum, faciens fructum secundum genus suum.

Quarto die quæ disposuerat cœpit ornare, et sicut dispositionem sic ornatam a superioribus inchoavit, scilicet a firmamento. Fecit enim ea duo luminaria magna, videlicet solem, lunam et stellas, quæ cœlum ornant, terram illuminant, temporaque distinguunt, et posuit eas in firmamento.

Quinto die ornavit Deus aërem et aquam, volatilia dans aëri, et natantia aquis, et utraque ex aquis fecit.

Sexto die fecit jumenta, bestias et reptilia, ad terræ faciem ornandam. Novissime autem in consummatione omnium, plasmavit Deus hominem de limo terræ in agro Damasceno, cui dedit spiritum ad imaginem et similitudinem suam creatum, et vocatum est nomen ejus Adam. Transtulitque eum in Paradisum

voluptatis, et ne minor esset felicitas si consorte careret, quia sine socio nulla est jucunda possessio, fecit Evam de costa Adæ dormientis, ut esset ei adjutorium simile sibi.

Seculum generationibus et successionibus constat, dicitur enim seculum eo quod se sequatur, quia abeuntibus aliis, alia succedunt, et ideo loquendo de seculo, videndum est primo, quot sunt ætates seculi quibus omnia secula distinguuntur. Et sicut Deus per 6 dies mundum creavit et ornavit, et in septimo requievit, ita seculum per 6 ætates distinguitur, et in septima, videlicet post finem mundi, erit justis quies et gloria, injustis vero pœna æterna. De numero autem ætatum, prima incipit ab origine mundi, et durat usque ad Noe inclusive, continens secundum Isidorum decem generationes, et annos 2254. Secunda ætas incipit a Noe et durat usque ad Abraham exclusive, et continet 9 generationes, et annos 942. Tertia ætas incipit ab Abraham et durat usque ad David, et continet 20 generationes et successiones, et annos 940. Quarta ætas incipit a David et durat usque ad transmigrationem Juda in Babylonem, continens 20 generationes et successiones, et annos 477. Quinta ætas incipit a transmigratione Babylonis, et durat usque ad adventum Salvatoris, continens 24 generationes et successiones, et annos 525. Et est summa generationum et successionum ab initio mundi usque ad adventum

Christi 83 secundum Isidorum. Summa vero annorum 5138: veruntamen secundum Orosium, cui maxime concordant 70 interpretes, 5119. Et istud communiter tenetur. Sexta ætas, quæ nunc agitur, incipit a nativitate Christi, videlicet anno ab origine mundi 5119, secundum Orosium et durabit usque ad finem mundi, et continet usque ad præsentem annum exclusive 1336. Numerus in isto primo margine scriptus, est annorum ab origine mundi præcedentium gesta immediate subscripta.

Numerus in secundo margine scriptus, est annorum ab initio mundi sequentium gesta in pagina sequente inserta.

Anni ab origine mundi secundum Orosium, cui concordant 70 interpretes, usque ad tempus præsens———6546.

3819. Ab adventu Bruti primi regis Angliæ in Angliam.

4032. Ab obitu ejusdem quum regnasset 33 annis, et generasset tres filios inclytos, quorum primus Locrinus, post decessum patris regnavit in Anglia, secundus Camber in Wallia, et tertius, videlicet Albanactus, in Scotia———2547.

Ab urbe Londoniæ condita per eundem Brutum, quam Trinovantum, id est novam Trojam nuncupavit———2000.

4481. Ab urbe Romana condita per Romulum et Remum fratres gemellos.

4858. Alexander Macedo rex, magnus im-



perator. Plato, Aristoteles et Hippocrates, medicus insignes, claruerunt———1688.

Octavianus Augustus Romanum suscepit imperium, et dictus est Augustus, eo quod Rempublicam duxerat———2389.

Numerus in isto margine subscriptus, est annorum a nativitate Christi præcedentium gesta sequentia.

Numerus subscriptus est annorum sequentium gesta inferius scripta a nativitate Christi usque præsentem annum, qui singulis annis mutabitur.

A.D. 1. Anno ab origine mundi 5119, et Octaviani imperatoris 42, natus est Christus filius Dei in Bethleem Judæ, ex Maria virgine, nocte diei Dominicæ, qui primus et summus pontifex sedit in hoc mundo 33 annis, et quantum est a natali usque ad Pascham, quod tamen pro dimidio anno computatur, secundum Chrysostomum. Eodem anno Christus fertur in Ægyptum, et in septimo a nativitate in Judæam revertitur.

A.D. 29. Johannes baptista prædicavit baptismum pœnitentiæ. Et in proximo anno sequente, baptizavit Christum in Jordanis flumine———1318.

A.D. 31. Christus convertit aquam in vinum, quod fuit initium signorum ejus. Et anno sequenti Johannes baptista sub Herode decollatur———1316.

A.D. 33. Dominus noster Jesus Christus

crucifigitur. Et eodem anno secundum quosdam, Stephanus protomartyr a Judæis lapidatur———1314.

A.D. 34. Beatus Petrus cathedram sacerdotalem in partibus orientalibus primo tenuit 4 annis, ubi primam missam celebravit, dicendo tantummodo Pater noster. Et anno sequenti Paulus apostolus convertitur et fidelis prædicator efficitur———1313.

A.D. 38. Petrus apud Antiochiam cathedram adeptus est, ubi sedit 7 annis. Anno secundo post Matthæus evangelista scripsit———1309.

A.D. 42. Ab assumptione Mariæ virginis quum esset annorum 54. Et anno proximo Marcus evangelista evangelium edidit———1305.

A.D. 45. Petrus apostolus apud Romam 25 annis, 7 mensibus, 8 diebus, pontificatum tenuit———1302.

A.D. 63. Jacobus frater Domini, qui Justus appellatur, ab impiis Judæis lapidatur———1284.

A.D. 70. Petrus quum apostolatam in supradictis locis 36 annis tenuisset, sub Nerone Christianorum persecutore crucifigitur. Eodem anno, eodem die, et sub eodem persecutore, Paulus apostolus decollatur. Et uterque apud Romam sepelitur———1277.

A.D. 71. Beatus Linus apud Romam immediate post Petrum pontificatum suscepit, et

quum sedisset 11 annis et 4 mensibus, martyrio est coronatus. Et beatus Petrus Cletum elegerat in papam, tamen ipse Linum et Clementem ante ipsum pontificare coegit—1276.

A.D. 82. Sanctus Cletus Romæ apostolatium accepit, et 21 presbyteros ibidem ordinavit, et quum sedisset 20 annis, martyrio coronatus est—1265.

A.D. 93. Beatus Clemens quartus papa Romæ apostolatium suscepit, et quum ibidem sedisset 9 annis, martyrio est coronatus—1254.

A.D. 97. Johannes evangelista in Patmon insulam sub Domitiano relegatur. Et proximo anno de exilio ad Ephesum revertitur—1250.

A.D. 117. Beatus Johannes apostolus et evangelista a Domino ad cœleste convivium invitatus, in pace requievit—1230.

A.D. 165. Anicetus papa statuit ut clerici [nec] comam innutrient, nec barbam, sed quod omnes habeant coronas ad modum sphaeræ rotundas—1182.

A.D. 245. Philippus 42us imperator erat primus imperator Christianus, a beato Pontio martyre baptizatus. Origines floruit—1102.

A.D. 262. Beatus Sixtus Romæ apostolatium suscepit, ubi quum sedisset fere 3 annis, cum sanctis Felicissimo et Agapeto, jussu De-

cii imperatoris decollatur. Eodem anno et sub eodem persecutore beatus Laurentius martyrizatur———1085.

A.D. 301. Beati Vincentius, Gervasius, et Protasius, Gorgonius, Quintinus, Chrysogonus, Anastasia, Agnes, et beata Agatha, sub Diocletiano martyrizati sunt———1046.

A.D. 303. Miles Christi gloriosus martyr Georgius sub Diocletiano et Maximiano imperatoribus martyrizatur———1044.

A.D. 309. Sancta Catharina virgo sub Maxentio impiissimo persecutore Christianorum decollatur———1038.

A.D. 310. Eusebius papa apud Romam pontificatum accepit; hujus tempore inventa fuit sancta crux, et ideo instituit inventionem ejus celebrari———1037.

A.D. 315. A consecratione beatissimi Sylvestri, urbis Romæ episcopi. Omnes Romani episcopi ante istum martyrio coronabantur———1032.

A.D. 337. Ab obitu ejusdem, quum sedisset 22 annis, Constantinum Augustum a lepra sanasset, taurum ferocem a morte resuscitasset———1010.

A.D. 370. Beatus Damasus Romæ apostolatum accepit, qui hos duos versos, "Gloria patri," et "Sicut erat," a beato Hieronymo compositos, in ecclesia post psalmos cantandos statuit. Hujus tempore beatus Ambrosius Mediolani episcopus consecratur, qui ritum

cantandi antiphonas in ecclesia constituit. Claruit etiam hujus tempore beatus Martinus Turonensis episcopus, sanctus Hieronymus, et Gregorius Nazianzenus———977.

A.D. 388. Ab obitu ejusdem Damasi, quum sedisset Romæ decem et octo annis, duobus mensibus et viginti uno diebus———959.

A.D. 398. Beatus Augustinus, magnus doctor, Hipponensis episcopus in fide, scientia et doctrina præ omnibus post apostolos floruit. Qui Augustinus ordinem nigrorum canonicorum factus canonicus instituit. Eodem tempore Johannes Chrysostomus claruit———949.

A.D. 420. Ab obitu beati Hieronymi presbyteri, quum esset annorum 91, et apud Bethleem Palæstinæ sepelitur———927.

A.D. 432. Papa Celestinus I misit beatum Patricium filium Conches sororis sancti Martini in Hiberniam, qui convertit omnes ad fidem———915.

A.D. 433. Ab obitu beati Augustini, quum sedisset in episcopatu Hipponensi 29 annis, mille et triginta volumina composuisset : septuagesimo sexto ætatis suæ anno migravit ad Dominum. Eodem tempore Septem dormientes, qui 200 annis dormierant, surrexerunt———914.

A.D. 444. Leo I apostolatum suscepit. Hic propriam manum suam pro quadam temptatione concepta ex osculatione cujus-

dam mulieris die Paschæ communicantis, clam amputavit, quam beata virgo sibi de facto pœnitenti miraculose restituit——903.

A.D. 464. Ab obitu ejusdem, quum sedisset 20 annis, diebus 27. Eodem autem tempore Priscianus grammaticus floruit——883.

A.D. 536. Ab obitu sancti Benedicti abbatis institutoris ordinis monachorum. Eodem tempore sanctus Maurus, Benedicti discipulus claruit——811.

A.D. 591. Beatus Gregorius I apostolatam Romæ suscepit. Hic erat doctor divinarum scripturarum solertissimus, qui 40 homelias composuit, Job et Ezechielem exposuit, registram et pastorem dialogum fecit. Hic Gregorius beatum Augustinum monachum pro conversione Saxonum, et fide prædicanda, in Angliam destinavit, episcopatus sui anno sexto——756.

A.D. 600. Beatus Augustinus monachus in archiepiscopum Cantuariensem solenniter est consecratus——747.

A.D. 604. Ab obitu beatissimi Gregorii, quum sedisset Romæ 13 annis, 6 mensibus, 10 diebus, et septiformem litaniam statuisset——743.

A.D. 607. Bonifacius IV Romæ apostolatam suscepit, qui statuit ut singulis annis festum Omnium Sanctorum solennizetur. Hoc tempore Heraclius imperator sanctam crucem in Jerusalem portavit, et ideo exaltationem

sanctæ crucis celebrari Bonifacius constituit  
—————740.

A.D. 612. Ab obitu ejusdem Bonifacii papæ, quum sedisset 6 annis, octo mensibus, viginti diebus—————735.

A.D. 624. Isidorus Hispalensis episcopus floruit, qui libri de summo bono, etymologiarum, et multorum aliorum auctor extitit. Eodem tempore Machometus princeps Saracenorum et magus, quum multis annis falsa Saracenis prophetasset, obiit—————723.

A.D. 731. Ab obitu venerabilis Bedæ presbyteri—————616.

A.D. 844. Haymo, qui exposuit super epistolas, et homilias super evangelia laudabili stylo conscripsit, claruit—————503.

A.D. 1091. Urbanus papa statuit ut horæ beatissimæ virginis ab omnibus clericis quotidie dicantur, et officium ejus in sabbatis fiat  
—————256.

A.D. 1092. Venerabilis Anselmus primo abbas, postea Cantuariensis archiepiscopus, in sancta vita et doctrina claruit—————255.

A.D. 1109. Beatus Bernardus ordinem Cisterciensium ingreditur. Et eodem anno abbas Clarevallis efficitur—————238.

A.D. 1117. Hugo de Sancto Victore, canonicus ordinis sancti Augustini, Parisiis claruit  
—————230.

A.D. 1137. Theobaldus consecratus est in

Cantuariensem archiepiscopum, et quum sedisset 24 annis, obiit———210.

A.D. 1149. Magister Ricardus de Sancto Victore, et Petrus Lombardus, qui librum Sententiarum composuit, floruerunt———198.

A.D. 1150. A consecratione Johannis de Paghham, episcopi Wigorniae, qui contulit canonicis Oseneye ecclesias de Bybury et Turkedene, cum advocacione ecclesiae de Resyndone. Et sedit in episcopatu Wigorniae octo annis, et decessit———197.

A.D. 1162. A consecratione sancti Thomae martyris in archiepiscopum Cantuariensem——185.

A.D. 1168. Petrus Comestor floruit, qui utriusque testamenti historiam scholasticam compilavit———179.

A.D. 1170. Beatus Thomas Cantuariensis archiepiscopus in ecclesia sua metropolitana, quum sedisset 9 annis, martyrizatur——177.

A.D. 1234. A consecratione sancti Edmundi de Abyndone in Cantuariensem archiepiscopum, qui quum sedisset 6 annis, apud Pontiniacum decessit———113.

A.D. 1235. A consecratione Roberti Grossete episcopi Lincolniensis, qui quum praefuisset 18 annis obiit, et apud Lincolniam sepelitur———112.

A.D. 1253. Beatus Ricardus de Wichio episcopus Cicestriae moritur. Et anno 1276 transfertur dictus Ricardus———93.



A.D. 1255. A crucifixione sancti Hugonis Lincolniensis junioris, per perfidos Judæos perpetrata———92.

A.D. 1264. Florebant Parisiis duo theologi insignes, scilicet sanctus Thomas de Aquino, de ordine Prædicatorum, et frater Bonaventura, ordinis Minorum———83.

A.D. 1270. A consecratione magistri Roberti Culwardeby in archiepiscopum Cantuariensem———77.

A.D. 1276. A consecratione Johannis de Peccham Cantuariensis episcopi, Roberto de Culwardeby, quum sedisset 8 annis, facto cardinale———71.

A.D. 1278. Ab obitu Walteri de Mertone Roffensis episcopi, qui aulam de Mertone in Oxonia fundavit, et eam pro sustentatione scholarium in duabus scientiis, videlicet theologia et dialectica studentium, ditissime fundavit———69.

A.D. 1300. Ab obitu Oliveri de Suttune episcopi, quum sedisset in episcopatu Lincolniensi 21 annis———47.

A.D. 1292. Ab obitu Johannis de Peccham archiepiscopi, quum sedisset 14 annis. Eodem anno Robertus de Wynchelse fit Cantuariensis archiepiscopus———55.

A.D. 1312. Ab obitu ejusdem Roberti de Wynchelse, quum sedisset 20 annis———35.

A.D. 1320. Ab obitu Johannis Daldirby

Lincolniensis episcopi, quum sedisset 20 annis  
———27.

---

A.D. 15. Ab obitu Octaviani imperatoris, quum imperasset 57 annis, videlicet ante incarnationem 42 annis, et post incarnationem 15 annis, totumque mundum suo subegit imperio, anno vero vitæ suæ septuagesimo octavo  
———1332.

A.D. 311. Ex quo Constantinus imperator, devicto Maxentio per virtutem sanctæ crucis, suscepit imperium———1036.

A.D. 340. Ab obitu ejusdem, quum imperasset 30 annis, ac ecclesiam Dei præ imperatoribus confirmasset et dotasset———1007.

A.D. 859. Ex quo Dani regnum Angliæ devastarunt, et regem Christianissimum Ay-mundum decollaverunt———478.

A.D. 477. Ex quo Merlinus vates in Britannia floruit, et quæ futura erant Britonibus prophetavit———870.

---

A.D. 1065. Ab obitu sancti Edwardi regis et confessoris quum regnasset 23 annis, 6 mensibus, et apud Westmonasterium sepelitur  
—————282.

Eodem anno Willelmus conquestor dictus Bastard in Angliam venit, et proximo anno sequenti coronabatur.

A.D. 1072. Ex quo Malcolmus rex Scotiæ fecit homagium Willelmo Bastard conquestori pro regno Scotiæ, quod de eo tenuit  
—————275.

A.D. 1087. Ab obitu ejusdem Willelmi, quum regnasset 30 annis, et apud Cadomum in Normannia sepelitur. Eodem anno Willelmus Rufus filius dicti Willelmi Bastard, in regem coronatur  
—————260.

A.D. 1100. Ab obitu Willelmi Rufi, quum regnasset 13 annis, et apud Wintoniam sepelitur. Eodem anno coronatur Henricus I, frater ejus, dictus Henricus clericus. Qui desponsavit Matildam filiam Malcolmus regis Scotiæ et sanctæ Margaretæ, dictam 'Bonam Reginam'  
—————247.

A.D. 1110. A desponsatione Matildis imperatricis filiæ regis Henrici et Matildis uxoris suæ vix quinquenni imperatori Alemanniæ  
—————237.

A.D. 1118. Ab obitu Matildis dictæ 'Bonæ Reginae.' Eodem anno ordo Templariorum apud Jerusalem incept  
—————229.

A.D. 1127. Galfridus comes Andegaviæ

duxit Matildam imperatricem, de qua genuit Henricum secundum———220.

A.D. 1133. A nativitate regis Henrici secundi, filii Galfridi comitis, et Matildis imperatricis———214.

A.D. 1135. Ab obitu regis Henrici primi, quum regnasset 35 annis, et apud Radingham sepelitur. Eodem anno Stephanus cognatus suus coronatur———212.

A.D. 1138. Commissum est grave bellum in Mora de Coutone juxta Northalitone, ubi multa millia Scotorum interfecta fuerunt a paucis———209.

A.D. 1139. Ab adventu Matildis imperatricis in Angliam, quæ quarto sui adventus anno obsidebatur per regem Stephanum in castro Oxoniæ———208.

A.D. 1154. Ab obitu regis Stephani, quum regnasset 19 annis, sepelitur apud Faversham. Eodem anno coronatur Henricus filius imperatricis———193.

A.D. 1155. A nativitate regis Henrici tertii, dicti 'Henricus junior,' filii regis Henrici secundi———192.

A.D. 1157. A nativitate serenissimi regis Ricardi, dicti 'cor Leonis,' in palatio regis apud Oxoniam———190.

A.D. 1164. A translatione sancti Edwardi regis et confessoris apud Westmonasterium, per sanctum Thomam Cantuariensem archiepiscopum———1083.

A.D. 1166. A nativitate Johannis fratris regis Ricardi. Eodem anno Matildis imperatrix filia regis Henrici primi, obiit——181.

A.D. 1170. A coronatione Henrici junioris contra inhibitionem sancti Thomæ martyris. Eodem anno Angli venerunt in Hiberniam——177.

A.D. 1183. Ab obitu ejusdem regis Henrici junioris, qui Henricus tertius nominatur——164.

A.D. 1189. Ab obitu regis Henrici secundi, quum regnasset 35 annis, 3 mensibus. Eodem anno coronatur rex Ricardus apud Westmonasterium——158.

A.D. 1193. A captione ejusdem regis Ricardi per ducem Austriæ in Alemannia——154.

A.D. 1194. A secunda coronatione ejusdem, quum esset a custodia solutus, et in Angliam reversus, datis imperatori obsidibus, et centum millibus marcarum——153.

A.D. 1199. Ab obitu ejusdem Ricardi, quum regnasset 9 annis, et apud Fontem Ebrardi sepelitur. Eodem anno coronatur Johannes frater ejus apud Westmonasterium——148.

A.D. 1207. A nativitate regis Henrici quarti filii regis Johannis. Et proximo anno sequenti generale interdictum in Anglia incepit——140.

A.D. 1214. A relaxatione ejusdem inter-

dicti, quum durasset per 6 annos in toto regno Angliæ———133.

A.D. 1216. Ab obitu regis Johannis, quum regnasset 17 annis, et apud Wigorniam sepelitur. Eodem anno Henricus IV filius ejus, quum esset annorum 9, apud Westmonasterium coronatur———131.

A.D. 1220. A secunda coronatione ejusdem, quum esset annorum 13, apud Londoniam———126.

A.D. 1236. A confirmatione libertatum per regem Henricum quartum, concessarum communitati Angliæ, quæ in Magna Charta et de Foresta continetur———111.

Sententia lata per omnes archiepiscopos, episcopos, prælatos, pontificalibus indutos, crucibus erectis, et candelis accensis, in omnes contravenientes et transgressores libertatum et consuetudinum contentarum in prædictis chartis, sicut per regem confirmatis, et hac de causa habuit rex Henricus 18mam totius Angliæ regni. Sequenti anno Otto legatus venit in Angliam.

A.D. 1339. A nativitate regis Edwardi filii regis Henrici post conquestum primi. Proximo anno sequenti Otto legatus recessit ab Anglia———108.

A.D. 1242. A transfretatione Henrici quarti cum Alienora uxore sua in Gasconiam———105.

A.D. 1256. Ricardus comes Cornubiæ elec-

tus est in imperatorem Alemanniæ. Et proximo anno sequenti coronatur——91.

A.D. 1258. A provisionibus factis apud Oxoniam, unde, multa mala futuris temporibus contigerunt——89.

A.D. 1263. Rex Henricus intravit Oxoniam, et ecclesiam sanctæ Fredeswyde, cui multa bona contulit, et capellam sancti Georgii in castro Oxoniæ intravit——94.

A.D. 1264. Commissum est bellum apud Lewes, ubi captus erat Edwardus filius regis, cum multis nobilibus, per Simonem de Monteforti——83.

A.D. 1265. Commissum est grave proelium apud Evesham, in quo Simon de Monteforti cum multis aliis fidelibus occubuit. Ottobon legatus venit——82.

A.D. 1267. A discumfitura facta apud Cestrefeldiam in comitatu Derbiæ——80.

A.D. 1272. Ab obitu regis Henrici quarti, cum regnasset 57 annis, anno ætatis suæ 66. Eodem anno obiit Ricardus imperator Alemanniæ, frater ejus——75.

A.D. 1274. A coronatione regis Edwardi filii regis Henrici, cum Alienore uxore sua, apud Westmonasterium——74.

A.D. 1278. Rex Scotorum fecit homagium dicto Edwardo, hac conditione, ut ubicumque rex inveniretur in Anglia, homagium admittere non differret——69.

A.D. 1270. Ex quo fuit inhibitum ne terra

et tenementa appropriarentur viris religiosis, ne aliquo modo ad manum mortuam devenirent, absque speciali licentia domini regis. Eodem anno moneta mutata fuerat in Anglia——68.

A.D. 1272. Lewelinus princeps Walliæ interficitur, et caput ejus Edwardo regi per Edmundum de Mortuomari transmittitur, Davidque frater Lewelini, apud Rothelan capitur, corpusque ejus in partes divisum, in quatuor civitatibus suspenditur, capite Londoniæ suspenso——65.

A.D. 1274. A nativitate regis Edwardi post conquestum secundi, die sancti Matthiæ evangelistæ, apud Carnarvan. Itineris justiciarius erat in Anglia——63.

A.D. 1278. Tantus calor erat in autumnno, ut in plerisque locis metentes pro nimio calore in campis moriebantur, et vendebatur quartarium frumenti pro 16 denariis. Eodem anno erat major pars villæ sancti Botulphi cum domo fratrum prædicatorum combusta, et nundinæ per quosdam latrones spoliatae. Jam quidam falsi armigeri conduxerunt ad invicem, ut quoddam hastiludium, quod Burdiz dicimus, celebrarent ibidem, tempore nundinarum, ut tante nundinas spoliarent——59.

A.D. 1290. Domina Alienora regina Angliæ obiit. Eodem anno ejecti erant omnes Judæi ab Anglia——57.

A.D. 1292. Mortuo Alexandro rege Scotiæ, consensu Edwardi regis Angliæ, Johannes de



Baliolo in regem Scotiæ eligitur. Et eodem anno coronatur——55.

A.D. 1294. Madoc et Morgan consanguinei Lewelini cœperunt rebellare in Wallia contra Edwardum regem Angliæ——53.

A.D. 1295. Spoliata erat villa Doveriæ per prædones Franciæ, magna pars villæ combusta, et multi interfecti. Eodem anno Gilbertus de Clare obiit——52.

A.D. 1296. Dominus Joannes de sancto Joanne, cum multis aliis nobilibus regni Angliæ in Gasconia erat captus, et regi Franciæ præsentatus. Rex Edwardus totum clerum Angliæ extra suam protectionem posuit. Willelmus Waleys cum exercitu Scotorum contra regem rebellavit——51.

A.D. 1297. A prima captione villæ de Berewyke per regem Edwardum, ubi pars Scotorum cecidit——50.

A.D. 1298. A discumfitura facta apud Fowkyke, die beatæ Mariæ Magdalenæ, ubi multi Scoti ceciderunt, Willelmo Waleys fugiente. Eodem anno Edwardus rex Margaretam filiam regis Franciæ duxit in uxorem——49.

A.D. 1299. Edwardus rex Angliæ ordinavit quod pollardi et gallardi ulterius pro sterlingis non current in Anglia——48.

A.D. 1300. Natus est Thomas de Broyurton, de Margareta regina Angliæ. Domina Ela comitissa Warwici obiit, et Osenæ sepelitur——47.

A.D. 1301. Nonis Augusti apud Wodestoke natus est Edmundus comes Cantiā de domina Margareta regina Angliā———46.

A.D. 1305. Ab inquisitione facta in Anglia super pacis perturbatoribus Trailbastone nuncupata. Eodem anno Robertus de Brus quarto idus Februarii in ecclesia fratrum Minorum de Dumfres dominum Joannem Comyn, comitem de Baldenache, cognatum suum, insidiose occidit———42.

A.D. 1306. Die Annuntiationis beatæ Mariæ, Robertus de Bruys in regem Scotiā se fecit coronari. Eodem anno, in festo Pentecostes, rex Edwardus apud Londoniam Edwardum, filium suum primogenitum cinxit militibus, cum ducentis militibus———41.

A.D. 1307. Die translationis sancti Thomæ martyris, translatus est rex Edwardus post conquestum primus ex hoc mundo in cœlum, anno ætatis suæ 69, regni vero ejus, id est a morte patris sui, 35 sed a coronatione sua 34. Eodem anno Petrus de Gavestone in partibus transmarinis exulans, per regem Edwardum post conquestum secundum, in Angliam revocatur, et factus est comes Cornubiæ, filiam comitis Gloucestriæ duxit in uxorem. Rex vero Edwardus post conquestum secundus Isabellam filiam regis Franciæ quinto calendas Februarii matrimonio sibi copulavit, et quinto die Februarii cum Edwardo rege marito suo in Anglia applicuit. Die autem Jovis proxima

post Epiphaniam, capti erant et custodiae mancipati omnes Templarii regni Angliæ. Eodem anno, VI calendas Martii, videlicet dominica quinquagesima, coronatur rex Edwardus cum Isabella uxore sua apud Westmonasterium———40.

A.D. 1311. Petrus de Gavestone de custodia comitis Pembroke per Guidonem comitem Warwici, apud Dadyngtone capitur, et usque castrum Warwyke ducitur, et in loco qui dicitur Gaveressiche, in præsentia Thomæ comitis Lancastriæ, Herefordiæ, Warwyke comitum et aliorum regni Angliæ magnatum, die sanctorum Gervasii et Protasii, a quodam Wallensi decollatur. Et non multum post apud Langeleyam in præsentia domini regis cum magno honore sepulturæ traditur———36.

A.D. 1314. A discumfitura facta apud Strivelyn, die sancti Johannis baptistæ, ubi ceciderunt Gilbertus comes Gloucestriæ, Edmundus Manlee, Robertus de Clifforde, Paganus de Tipetofte, Ægidius de Argenteyn, et multi nobiles milites Angliæ interfecti fuerunt. Humfredus de Bohun comes Herefordiæ, Joannes de Segrave, Joannes de Claveringe, Willelmus de Latimer et fere trecenti barones et milites, cum magna multitudine peditum, qui restiterunt, fuerunt capti et in carcere detrusi, donec per gravem redemptionem fuissent liberati, domino nostro rege cum suo dispensatore et exercitu fugæ præsidium arripiente———33.

A.D. 1312. A nativitate serenissimi regis Edwardi post conquestum tertii, die sancti Bricii confessoris apud Windesore. Istorum subscriptorum pro reformatione status regis et regni quidam fuerunt interfecti et quidam, prout inferius patebit, instinctu et procuracione dispensatorum, et aliorum malorum consiliantium in carcere detrusi, videlicet dominus Thomas comes Lancastriæ per Andream de Herkeley et alios plures indiscretos pacis ecclesiæ et regni perturbatores, apud Burbrigge erat captus, et juxta Pomfreide pro jure ecclesiæ et regni decollatus. Dominus Humfredus de Bohun comes Herefordiæ, dominus Willelmus de Sulee et dominus Rogerus de Burfeld, cum multis aliis apud Burbrigge erant interfecti———35.

Domini Warinus de Lille, Willelmus Tochet, Thomas Mauduite, Henricus Bradebourne, Willelmus filius Willelmi junior, Willelmus de Cheiny erant tracti apud Pomfreithe et suspensi.

Domini Joannes Moubray, Rogerus de Clifforde, Jocelinus Deyvile tracti erant et suspensi apud Eboracum.

Dominus Bartholomæus de Badelumsere tractus fuit et suspensus apud Cantuariam.

Domini Henricus de Monteforti, Henricus de Wilington, capti, tracti et suspensi erant apud Bristolliam———26.

A.D. 1321. Domini Joannes Giffard, Rogerus de Elingbrigge tracti fuerunt et suspensi

apud Kerdif. Dominus Henricus Thieis tractus et suspensus Londoniæ, et dominus Franciscus de Aldeham apud Windesoure.

Dominus Thomas Colopeper tractus erat et suspensus apud Winchelse.

Dominus Rogerus de Mortuomari senior et junior, Mauricius de Berkeley senior, Joannes de Charletone, Robertus de Hoylande reddiderunt se voluntati domini regis, qui locis diversis carceri erant mancipati.

Domini Joannes de Boutetour, Joannes de Kingstone, Nicolaus de Percy, Joannes Mau-travers, Edmundus Haclude, Joannes de Sapy, Robertus de Wathemville, Philippus de la Beche, Joannes de Berke, Henricus de Laimbourne. Isti decem cum sexaginta duobus aliis militibus sunt in diversis locis carceri mancipati.

A.D. 1325. Domina Isabella nobilissima regina Angliæ cum domino Edwardo filio suo, pro pace inter dominum Edwardum regem Angliæ, maritum suum, et regem Franciæ reformanda, in Franciam transfretavit. Et anno proximo sequente cum dominis Joanne de Henoude, Rogero de Mortuomari, et magna multitudine Anglorum et Hanondorum, apud Gipeswiche in Angliam applicuit. Et eodem anno Hugo Dispensator comes Wintoniæ apud Bristolliam et Hugo Dispensator filius ejus apud Herefordiæ cum Simone de Rad. tracti erant et suspensi. Et dominus Edmundus

comes de Arundel apud Salopiam erat captus, et apud Hereforde decollatus——  
22.

A.D. 1326. Dominus Edwardus post conquestum secundus coronam regni domino Edwardo filio suo primogenito apud Kenelworthe resignavit. Et eodem anno, die 22do Septembris apud Berkeleiem in fata decessit; et apud Gloucestriam in ecclesia conventuali sancti Petri, 21mo die Decembris honorifice traditur sepulturæ. Eodem vero anno dominus Edwardus post conquestum tertius, tertio die Februarii apud Westmonasterium erat coronatus——21.

A.D. 1320. Dominus Edmundus de Wodestoke, comes Cantix, apud Wintoniam fuit decollatus. Dominus Rogerus de Mortuomari et Simon de Bereforde apud Londoniam erant tracti et suspensi——18.

A.D. 1330. Dominus Edwardus dux Cornubiæ primus, apud Wodestoke 15to die Junii de Philippa regina nascitur——17.

A.D. 1332. Domina Isabella filia regis de Philippa regina Angliæ, apud Wodestoke nascitur——15.

A.D. 1333. A discumfitura facta apud Glastmore, die sancti Laurentii martyris, contra Scotos, per dominos Henricum de Bello monte, Ricardum Talbote, baronem de Stafforde, et alios, ubi ceciderunt quinque millia Scotorum a duobus millibus Anglorum miraculose, ut

creditur, interfecti, dominis comite de Athel et Fulcone filio Warini auxiliantibus.

Commissum est grave proelium vigilia sanctæ Margaretæ inter Edwardum regem Angliæ et exercitum Scotorum, in loco qui dicitur Halidoune juxta Berewike, ubi cecidit magna pars militiæ Scotorum, cum innumerabili multitudine peditum, et capta erat villa de Berewike cum castello, per dominum Edwardum regem antedictum———14.

A.D. 1336. Rex Edwardus tenuit parliamentum Londoniæ, 12mo die Martii, in quo fecit Edwardum filium suum ducem Cornubiæ, et quinque comites de novo creavit, videlicet dominos Henricum de Lancastria comitem Derbeïæ, Willelmum de Bohun comitem Norhamtoniæ, Willelmum de Monteacuto comitem Saresberïæ. Hugonem Daudele comitem Gloucestriæ, et Willelmum de Clintone comitem Huntingdoniæ———11.

Memorandum, quod die Veneris, in festo sanctæ Margaretæ virginis, apud Oseneve, anno domini 1347 et anno regni regis Edwardi tertii a conquestu 21mo Galfridus le Bakere de Swinebroke clericus ad rogatum domini Thomæ de la More militis, scripsit istud Chroniculum. Memorandum, quod ille sanctissimus abbas Joachim descripsit mundum per literas alphabeti duraturum, et posuit numerum super quamlibet literam C annos. Et incipit a quando Roma primo fuit condita, usque

adventum Christi, ita quod computando a prima litera alphabeti, videlicet A, et sic gradatim usque literam H, dicit Christum super illam literam ex virgine esse natum. Et a prædicta litera H, sumus super literam Y, tempore quo ista scripta erant, videlicet in anno jubileo 1350. Et sic per ejus opinionem et dicti alphabeti computationem remanet nisi litera Z, quæ est ultima litera, ubi ponit finem istius seculi, hoc est 250 annos a tempore dati hujus. Et computando modo prædicto a dato prædicto usque adventum Christi sunt anni [2450] et usque datum prædictum 1350.

Memorandum de septem ætatibus mundi. Prima ætas continet annos 2254. Secunda ætas 942. Tertia ætas 940. Quarta ætas 477. Quinta ætas 589, unde summa usque sextam ætatem, in qua natus est Jesus 5138. Et a nativitate Christi usque nunc, isto anno jubileo 1350 annos.

Prima ab Adam usque Noe.

Secunda a Noe usque Abraham.

Tertia ab Abraham usque David.

Quarta a David usque transmigrationem.

Quinta a transmigracione usque adventum Christi.

Sexta a Christi adventu usque finem mundi.

Memorandum quod traditum est a domo Helye, id est a discipulis ejus, per sex millia annorum erit mundus, duo millia vanitatis, duo millia legis, duo millia dierum Messiaë.



Secundum 70 interpretes.

Ab origine mundi usque adventum Christi 5138 anni, secundum Isidorum. Sexta ætas a nativitate Christi usque festum beatæ Margarete in ultimo anno jubileo nunc quo die ista scripta erant, 1350. Summa totalis 6488. Et sic ad finem septimi millenarii, 512 anni. Secundum opinionem Orosii. Secundum Joachim ad finem septimi millenarii, a die prædicto 150 anni per literas alphabeti. Secundum Methodium, usque ad finem prædictum 189. Et sic nullus concordat cum alio, nec mirum, quia hoc est unum de secretis Dei, quod nunquam sciri potest antequam acciderit.

CHRONICULUM GALFRIDI LE BAKER  
 DE SWINBROKE CLERICI, DE MORTE ET VITA  
 REGUM ANGLIÆ, PATRIS ET FILII, VIDELICET  
 EDWARDORUM, DE WINCHESTER POST CON-  
 QUESTUM PRIMI, ET DE CARNARVAN SECUNDI;  
 ANNO REGNI REGIS EDWARDI TERTII XXI<sup>mo</sup>  
 AD ROGATUM DOMINI THOMÆ DE LA MORE  
 MILITIS CONSCRIPTUM.

ANNO ab incarnatione Jesu Christi regis omnipotentis unigeniti 1303, Bonifacii papæ hujus nominis octavi anno 8, regni vero nobilis regis Edwardi de Wincestre filii Henrici regis Anglorum 31, quia Scoti interfecerunt et proditiose tractaverunt custodes et ministros, quos præfatus Edwardus præfecit custodiæ regni Scotiæ et castrorum, cum exercitu Scotiam circa Pentecosten transequitavit, et rebellibus quibuscumque captis et occisis vel a facie gladii fugatis ad insulas seu latebras subterraneas, in Angliam remeavit. Rege reverso, Scoti de latibulis et exilio regressi, castrum de Strivelin, [obsederunt] cui ad tutelam rex præfecit Anglicos 40 duntaxat, qui, victualibus consumptis, equis, canibus, gliribus et muribus vescentes, tandem castrum, contra Scotos, et,

quæ solet munitissima expugnare, solam, videlicet famem, quamdiu defensum, salvis vita et membris finaliter reddiderunt. Postea rex obsedit castrum de Vrihin et infra 20 dies expugnatum cepit. Hoc anno inter reges Angliæ et Franciæ pace reformata, reddita est Anglicis Gasconia, quæ diutius injuste extitit a Gallis occupata. Isto quoque anno in vigilia nativitatis beatæ Mariæ, captus est Bonifacius papa prædictus in Campania, civitate Agnaniæ, de qua extitit oriundus, procurante rege Franciæ per suos nuntios W. de Rogarito et W. de Plasiano, atque consentientibus ipsius papæ familiaribus et vicinis. Thesaurus quoque ecclesiæ deprædatus, ipse insuper papa, equo indomito insidens invitus et alligatus, facie versus caudam effrænis equi conversa, cursu nimio deferentis fatigatus, spiritum cum sententia excommunicationis in degeneres filios propaginis regalis sanguinis Francorum ad usque nonum gradum, terribiliter exspiravit, 6to idus Octobris, anno 1304.

Anno sequenti scilicet Christi 1304 Bonifacio prædicto successit Benedictus papa XI, natione Lombardus, qui 11mo kalendas Novembris Romæ fuit electus, et die Dominica sequenti coronatus. Iste prius fuit de ordine prædicatorum, et postea cardinalis Ostiensis, finaliterque pater patrum, qui excommunicavit et excommunicatos denunciavit omnes qui captioni prædecessoris sui consenserant, et postea

nonis Julii, diem clausit extremum. Hoc anno rex Edwardus se transtulit in Scotiam, castrum de Strivelin, quod custodiebat Willelmus Olifarde, quum per nonaginta dies crebris insultibus viriliter obsedisset, obsessi repugnare non diutius valentes, discalciati et funibus colla constricti exeuntes, coram rege se prostraverunt, vitam et membra misericordiæ regis commendantes, quos ad vitam reservatos, carceri tamen mancipatos, in Angliam transmisit pietas regalis.

Anno Christi 1305, Benedicti papæ XI anno primo, Edwardi primi post conquestum anno 33 solennitatem natalis Christi Lincolnix rex celebravit, et justiciarios de Trailebaston per totam Angliam malefactores punituros ordinavit, per quos multis castigatis, regis ærarium valde fuerat ditatum. Hoc anno fuit subtractus, suspensus, et decapitatus Willelmus Waleys apud Londoniam, qui prius contra Anglicos in Scotia et partibus finitimis multa facinora perpetravit. Circa festum Purificationis, Robertus le Bruys natione Anglicus, volens jure uxoris suæ sine scitu et assensu ligii domini sui regis Angliæ, regnum Scotiæ ausus usurpare, fecit convocationes magnatum Scotiæ, inter quos in ecclesia fratrum minorum apud Dumfres, dominum Joannem de Comyn, fidelem amicum regis, conspiracy suæ dissentientem, trucidavit. Exinde ad festum Pentecosten, rex filium suum primogenitum

Edwardum de Carnarvan, cingulo militari decoravit, et cum ipso alios centum milites ordinavit apud Westmonasterium; filium quoque suum prædictum ducatu Aquitanniæ dotavit. Petrus etiam de Gavestone ex præcepto regis regnum Angliæ abjuravit. Demum circa natiuitatem beatæ virginis, Scotiam repetiit rex cum militia copiosa, ubi per totam hiemem et æstatem sequentem prospere disponens multa quæ voluit, labores gravissimos morte præreptus suis posteris reliquit, nempe in festo translationis sancti Thomæ martyris, anno ætatis suæ 69, regni vero sui a morte patris 35, et a coronatione sui 33, et ab incarnatione Jesu Christi 1307, ab hac luce migravit, cujus corpus apud Westmonasterium, 28<sup>o</sup> die Octobris sepultum expectat resurrectionem et regnum sempiternum.

Anno proxime notato, scilicet incarnationis filii Dei 1307, Edwardo de Wincestre prædescripto viam universæ carnis ut præscribitur ingresso, successit filius suus primogenitus in regnum, Edwardus de Carnarvan, dictus secundus post conquestum, qui statim post adeptionem diadematis paterni transfretavit, conciliaturus sibi avum Philippum le Beals regem Francorum, ab ipso per multum aversum, inter quos ignis sancti spiritus talem fervorem caritatis succendit, quod rex Edwardus Isabelam filiam prædicti regis Franciæ, cum magna celebritate regum atque procerum utriusque

regni, apud Boloniam ritu maritali sibi copulavit, quinto calendas Februarii. Abinde rex Angliæ cum uxore sua et magna nobilium comitiva quinto die Februarii ad Angliam reversus, eodem anno, septimo calendas Martii, regiam portans coronam, cum regina coronata, apud Westmonasterium, Dominicam in Quinquag. solennizavit: non extat prætereundum quod regi in partibus Galliæ uxorem desponsaturo, commoranti representavit se quondam sibi familiaris, sed præcepto patris abdicatus Petrus de Gavestone prædictus, quem rex ab exilio in Angliam reduxit, cui etiam dedit comitatum Cornubiæ, et filiam sororis suæ, videlicet dominæ Joannæ de Acres, comitissæ de Gloucestria, in uxorem. Erat iste Petrus natione . . . . . corpore elegans et agilis, ingenio acer, moribus curiosus, in re militari satis exercitatus, de quo valentium dicere testimonium, quod ipso in partibus Scotiæ ducatu militiæ præsidente, Scotos valde terruit et repulit a prædictis et aliis vesaniis magnanimitas Anglorum; quo per invidiam felices successus ipsius odientium de medio subtracto, incanduit et invaluit in ministros regis Angliæ castris Scotiæ deputatos versuta Scotorum vigilantia. Prædictæ coronationi affuerunt Carolus frater reginæ, futurus rex Franciæ, et pater Philippi primi, intrusoris regni Francorum, et dux Britanniæ. Item Henricus comes Luceburg' postea imperator, sed Petrus de Gavestone cultu et appa-

ratu omnes transcendens omnium invidiam et ejus nefandum partum odium incurrebat, quæ sola excellenter nobilia lacessit.

Anno Christi 1309 et ipsius regis tertio, rex ut deliniret animos invidentium, atque sedaret murmur detrahentium, Petrum ipsum transmisit in Hiberniam cum valida manu contra Hibernicos rebelles, assignans stipendium de regis ærario ad scaccarium ibidem recipiendum, et quædam prospere, sed contra ruinam sui exaltatus congressit, sed non diu fortuna vultus continuavit hilaritatem, nondum enim plene revoluto eodem anno rediit de Hibernia ad regis contubernium gratanter acceptus; contra quem non jam secreta sed odia manifesta verbis et signis atrocibus expressa pullularunt, arbitrantium se obsequium præstare Deo et reipublicæ prodesse, si Petrum alienigenam, gloriam indigenarum sua prosperitate eclipsantem, vita vel regni incolatu privarent. Unde rex ut ipsum a satrapum potestate præservaret, posuit ipsum in castro de Bamborgh, asserens hoc factum, ut satrapis placeret, sed nec evasit: quin contumelias et errores ipse rex piissimus passus est ab eis.

Anno Christi 1311 circa festum nativitatis Joannis Baptistæ, pro defensione Petri, Petrus revocatus a castro de Bamborgh committitur custodiæ Adomari de Valence comitis Pembrochiæ, adjurati coram rege, inspecto sancto

sanctorum sacramento altaris, quod ipsum indemnem quatenus posset, contra omnes adversarios suos custodiret ad certum tempus, citra quod intendebat rex aliquo modo Petrum regni proceribus reconciliasse. Sed fidem invidia inter summa lacessens et amor placendi inimicis Petri, tutorem ipsius contra juramentum in negligentiam abduxerunt, ducitur tandem Petrus quo non vellet per familiarem inimicum in mediam potestatem inimicorum, in manerium videlicet Dathintone, quod est inter Oxoniam et Warwick, ubi nec latibulum naturale nec castrum aut munimentum aliquod artificiale posset a vicinitate comitis Warwick Petrum sequestrare. Adomarus nocte ab ipso Petro recessit et in aurora comes Warewyc, cum comitiva mediocri et Hutesio accessit; Petrum quoque ductum ad castrum Warewik, habita deliberatione cum Thoma comite Lancastriæ et comite Herefordiæ, in ipsorum conspectu in loco qui dicitur Caveresich 19<sup>no</sup> die mensis Januarii fecit decapitari, cujus corpus in ecclesia fratrum ordinis prædicatorum de Langleye rex honorifice commisit sepulturæ. Eodem anno papa Clemens V celebravit concilium Viennense primo die mensis Octobris inchoatum, et adusque Pentecosten protelatum, in quo damnavit ordinem Templariorum, rege Franciæ Philippo dicto le Beals præsentem, et id procurante, qui odiosum habuit magistrum magnum ordinis propter importunam pecuniæ



exactionem, quam sibi pro maritaggio Isabellæ filiæ suæ reginæ Angliæ quondam accommodavit provincialis Franciæ primus. Supra sperabat unum de filiis suis in regem Jerosolymitanum coronandum idem rex Philippus, ditandum quoque prædiis destruendorum militum templi Dei, et hac occasione prædictum magistrum aliosque multos illius ordinis regno suo constitutos procuravit comburi; totumque concilium ordinemque adnihilari; sed propositum cupiditatem crudelem non saturavit, nam papa cassatorum terras et possessiones Hospitalariis assignavit, pro quibus ipsorum dominio liberandis misit in Angliam quemdam cardinalem, et sibi associavit episcopum Albanensem, quibus restiterunt heroes Anglorum, quorum progenitores Templarios amplis prædiis dotaverunt, et ipsi, ordine damnato, possessiones reversas occuparunt, ita quod dicti papæ nuntii infecto negotio pro quo venerant, redierunt.

Anno Christi 1312, Edwardi secundi anno sexto, die sancti Bricii confessoris, apud Windesore natus est regi ex Isabella regina magnificus Gallorum triumphator, Scotorum consternator, rectiliniari propagatione de sanguine regali Angliæ et Franciæ, utriusque regni hæres futurus suo tempore, vocatus tertius Edwardus post conquestum. Hoc anno lætitia nati filii et reginæ quam nimium dilexit et tenerrime confovit, ne quicquam molestiæ ei inferret, rex dissimulavit quam moleste gessit,

mortem Petri, ancipite quoque sua providentia, nescia cujus fidei sui consilia secreta aut vitam in periculis posset commendare amicabiliter a cujus amicitia manifeste vel occulte Petri interitus sequestravit multos, ipso propterea armis neglectis, vacante solatiis quandoque veris nonnunquam simulatis, regni quoque proceribus in necem Petri opportune infligendam occupatis, Robertus de Bruys fere omnia castra atque fortalicia Scotiæ acquisivit, et custodes deputatos per regem et ipsius patrem amovit vel peremit. Anno sequenti ex consilio et ordinatione prælatorum et aliorum nobilium Hugo Despenser filius fuit ordinatus camerarius regis, loco Petri, prius de medio substracti, quem, nisi valentes dicere vulgo mentiantur, rex antea nedum minime dilexit, immo odivit, et eo libentius ad idem officium ipsum elegerunt, qui postmodum, regis animo erga ipsum in benignius commutato, eundem exosum habuerunt. Istius Hugonis pater tunc feliciter superstes erat magnæ probitatis miles, consilio providus, armis strenuus, cujus confusionem et ignominiosum finem accumulavit amor naturalis sed deordinatus quem visceribus paternis gessit erga prædictum filium suum, corpore formosissimum, spiritu superbissimum, actu flagitiosissimum, quem spiritus ambitionis et cupiditatis a viduarum et orphanorum exhæredatione in necem nobilium regis præcipuorum et sui ipsius atque patris interitum præcipitarunt.

Anno Christi 1313 et ipsius regis 7mo, Angliæ militia impatiens injuriarum quas Robertus le Bruys et suæ conspiratæ infidelitatis contra regem Angliæ proditiosi fautores in Scotia perpetrarunt, sub ducatu regis juxta pagum Scotiæ, quem Strivelyn indigenæ nuncuparunt, se coadunavit, in vigilia nativitatis sancti Joannis baptistæ. Illuc Anglicorum pompa usque tunc solita in equis belligerare, copias adduxit, cursantium dextrariorum, armorum radiantium, militiæque copiam, cujus temeritas nimium præsumptuosa, sibi ipsi blandiendo promittens victoriam, quam de suis viribus desperantibus solet imperator universi conferre, de sua securitate adeo fuerat confisa, ut, præter necessariam rei militari equorum et armorum atque victualium abundantiam, vasa quoque aurea et argentea, quibus quolibet pacis tempore solent mundi principum convivia luxuriare, secum facerent deferri. Nunquam tunc præsentibus antea vel post tantam nobilitatem, tam nobilem apparatus, tanta superbia intumentem vidit solo guerræ Martis favori commendare, ut pauper ille Carmelita, frater R. Bastone in suis heroicis de eodem bello, quo præsens a Scotis captus, deplanxit luctuose. Vidisses illa nocte gentem Anglorum, non angelorum more viventium sed vino madentium, crapulam eructantium, Wassay! et Drinkhal! plus solito intonantium, econtra Scotos silentes sanctam vigi-

liam jejunio celebrantes, et amore patriæ libertatis licet injusto, tamen acri et in mortem parato æstuant. In crastino Scoti campi locum nacti victoribus maxime opportunum, subfodiebant ad mensuram trium pedum in profundum et ad ejusdem mensuræ latitudinem fossas protensas in longum a dextro in sinistrum cornu exercitus, operientes illas cum plexis fragilibus ex virgulis et viminibus sive cratibus, id est *herdeles*, cespite et herbis superstratis, peditibus quidem perviis saltem consciis cautelæ, sed equitum pondera non valentes sufferre.

Scotorum, quorum nulli (rege duce prohibente) fas erat equum pugnacem ascendere, exercitu in turmas ut assolet diviso, non longe a prædicta fossa, inter ipsos et Anglicos, non dico dolose sed caute excogitata, stetit solidissime acies ordinata; ex adverso progredientis ab occidente exercitus Anglorum, refulsit sol oriens in scutos aureos et galeas politas, cujus radii micantes aspectus armatorum reverberantes movissent magnanimum Alexandrum, ut illis loco et die vel saltem hora diei congressum suspendisset, et solis meridiani, qui fuisset illis dexter, judicium exspectasset, sed proh dolor, impetuosa cervicositas Anglorum, suspendio conflictus mortem præeligentium, habuit in primâ custodiâ phalangem, dextrarios et grossos cursarios equitantium, quos latuit Scotorum fossa integumento fra-

gili (ut dictum est) sophisticata; in secundâ verò pedites cum sagittariis adversariorum fugæ reservatis; in tertia vero regem cum episcopis et aliis religiosis viris, et inter ipsos vecordi milite H. le Spenser. Equites aciei primæ in hostes progressi, equorum titubantium anterioribus pedibus in fossam transplexas perforatas affixis, præcipientes corruerunt, ceciderunt, et omnem insultum et crudelitatem adversariorum ruina ex alto prævenerunt, quibus collapsis insteterunt hostes, mactantes, capientes et solis divitibus redimendis parcentes. Ibi tunc occubuit Gilbertus comes Gloucestræ, quem Scoti redimendum libenter reservassent, si per togam propriæ armaturæ, quam tunc non induebat, ipsum cognovissent. Comitem comitabantur in mortis itinere Edmundus Manlie, Robertus de Clifford, Saganus Tiptoft, Ægidius D'argentyn, et multi alii ordinis militaris. Cæterum inter viros redemptioni fuerunt reservati Humfridus de Bohun comes Herefordiæ, Joannes de Segrave, Joannes de Clavinghe, Willelmus le Latimer, et fere trecenti viri militares occisorum in prædicto discrimine. Nonnullos detraxit in clade phalanx sagittariorum non habentium destinatum locum aptum, sed prius armorum a tergo stantium, qui nunc a latere solent constare. Ubi viderunt Scotos collapsis in fossam atrociter instare, sagittas quidam in altum casuras inter hostium cassides incassum,

quidam vero in directum jacentes Scotorum paucos a pectore Anglorum multos a tergo necuere. Sic redit in nihilum hesterna pompa, rege cum episcopis et Dispensatore fugæ præsidium arripiente, quem non ingenium mortale, nec agilitas equorum aut involucra locorum a captura Scotorum liberassent, nisi precibus suæ matris, Christus, qui per medium Judæorum incognitus abibat, ipsum regem a Scotiæ finibus eripuisset, quod non solum ipse, sed qui cum ipso fugiebant, postmodum confitebantur. In tanto fugæ periculo rex vovit Deo et virgini dilectæ suæ genitrici quod pauperibus ipsius Carmelitis matris Dei titulo specialiter insignitis, fundaret monasterium aptum ad inhabitandum, in quo 24 fratribus studio theologiæ deputatis, de competentibus expensis subveniret. Votum ratificatum a domino papa Joanne XXII, rex complevit, palatium suum Oxonii, H. le Spenser dissuadente, fratribus prædictis in puram et perpetuam eleemosynam assignando, anno regni sui . . . , domini quoque papæ Joannis prædicti . . . .

Anno Christi 1315 Scoti sub ducatu Edwardi le Bruyus, qui se fecit a suis regem Hiberniæ nominari, vexillis displicatis Hiberniam ingressi, sub vexillo domini Joannis de Birmingham tunc regis Angliæ justiciarii, cum suo pseudorege fuerunt in numero maximo interfecti. Eodem tempore in Anglia nimis invaluerunt pestilentia et fames, quarterio

frumenti 40 solidorum sterlingorum appreciato.

Anno 1316, domini papæ Joannis XXII di anno primo, admissi duo cardinales in Angliam et Scotiam pro pace reformanda inter regna, habito cum rege Angliæ tractatu, itinerando versus Scotos in episcopatu Dunelmensi fuerunt deprædati per Gilbertum de Midiltone militem, qui postea fuerat proinde suspensus, et in quartas divisus; nuntios speciales Robertus le Bruyus Scotiam noluit permittere intrare, pro quo iidem cardinales dictum Robertum et sibi adhærentes excommunicarunt, regnumque Scotiæ supposuerunt ecclesiastico interdicto, per Angliam tandem versus curiam reversi, pro ablatis a prædonibus, duplicia receperunt a rege et regni proceribus sponte collata.

Anno 1317 Robertus le Bruyus castrum et villam de Berewico viriliter adquisivit, neminem occidendo qui voluit obedire. Eodem etiam anno, mense Augusti, rex et comes Lancastriæ Thomas, prope Leicestriam in quadam planitie sunt concordati et invicem cum multis amplexibus osculati, qui a morte Petri de Gavestone fuerant in magnum regni periculum et applausum Scotorum sibi inimici.

Anno 1318 circa autumnum, rege transequitante magnam infeste partem Scotiæ, et ad obsidionem Berwici se disponente, Scoti intrarunt Angliam, usque ad Eboracum prædis et

incendiis patriam vastantes, regem infaustis nuntiis ad proprii regni tuitionem revocantes, ipsis non regi obviam sed per aliam viam reversis in regionem suam.

Anno 1319, mense Junii, rex Angliæ transfretavit occurrens Ambianis regi Franciæ Philippo, et recepit ab eo comitatum Pontiniæ, quem princeps Gallorum in sua vanitate propter non factum homagium occupavit.

Anno Christi 1320 regni regis Edwardi secundi 14to, oritur inter regem et suos fideles ex una parte, atque comites Herefordiæ, et Lancastriæ aliosque barones ex adverso discordium lamentabile, initiata quoque fuit illa guerra intestina, quæ ab interitu baronum ad regis depositionem et fere totius sanguinis regalis exheredationem inolevit. Quippe contra Hugonem le Despenser filium, regis camberlinum, incanduit baronum regni odium ex invidia subortum. Fuerunt inter illos qui dixerant Hugonem alterum regem, immo regis rectorem, animum regalem, ad instar Petri de Gavestone incantasse, et de regis familiaritate ita præsumpsisse, quod nonnullos nobiles frequenter a regis colloquio arctaret; quibusdam quoque nonnunquam pro diversis negotiis seipsos tangentibus, regem alloquentibus, regia benignitate præoccupata, ipse responderet, responsiones non optatas sed adversas votis, regis tantummodo præterens commoditatem, ipsis refunderet. Talia de Hugonis malo fa-



teor, sed non adeo quin vulgus garrulus pejorem sciverit fingendo describere, atque vere mala facto deteriora prædicare. Pro talibus et similibus, in quibus regii ministri solent offendere, reddebatur Hugo regni proceribus nimium odiosus. Unde in furibundum appetitum vindictæ proceres accensi, prædia hæc patris in odium filii ac ejus adhærentium, quæcumque invenerant in principatu Walliæ et in Marchia occuparunt, nemora ipsorum et cætera mobilia in Anglia reperta devastarunt, in utriusque præterea Hugonis necem, atque cujlibet alterius amici, exceptis regio sanguine reverendis, sub sacramento jurisjurandi conspirarunt. Horum fuerunt principales, comes Herefordiæ, R. de Mortimer, Mauricius de Berkleye, B. de Baddesmere, R. Damori, H. Tyeys. Occulte comes Pembrochiæ consensit eis, sed et comes Lancastriæ ardentem et manifeste. Hugo putans furorem iracundorum posse tractu temporis mitigari, absentans se ad tempus quandoque trans mare, quandoque in mari, de ordinatione regis navigio latitavit, tandem in parlamento apud Westmonasterium celebrato, rege non consentiente nec tantum præ metu civilis discidii audente reclamare, uterque Hugo exulat, contra absentes sententia promulgata.

Anno 1321 dominæ reginæ Isabellæ circa festum sancti Michaelis itinerando venienti ad castrum de Ledes in Cantia, et in eo volenti

pernoctari fuerat ingressus pertinaciter denegatus; reginæ repudium rex æstimans in sui contemptum redundare, per populares vicinos, et illos de Essexia et nonnullos Londonienses jussit castrum obsideri. Castri firmamentum tenuit B. de Baddesmere, in quo uxore et filiis relictis, cum vernaculis ad ejus defensionem aptis, proficiscebatur cum aliis baronibus ad demolitionem gazarum Hugonis. Obsidioni acriter insistente rege, inclusis desperantibus de castri tuitione, Comites et barones Hugonis vastatores, armatorum suffulti magna comitiva, venerunt Kingetonam in vigilia apostolorum Simonis et Judæ, rogantes per nuntios intermissos dominos Cantuariensem et Londoniensem, ac comitem Pembrochiensem, quod obsidionem rex amoveret, promittentes quod post proximum parlamentum, castrum regi redditum subderent. Rex vero perpendens castellanos non posse diu resistere et exasperatus rebellione inclusorum, petitiones baronum noluit exaudire, quibus in partes alias regressis, castro tandem labore non modico expugnato, sex de fortioribus in ipso repertis indilate suspensis, uxorem B. de Baddesmere et filios ejus misit turri Londoniæ custodiendos. In sequenti nativitate Salvatoris, rex Cirencestriæ celebrato natali cum exercitu collecto tendens in Marchiam Walliæ, declinavit Gloverniam, per quosdam barones paratos rebellionem occupatam, per Wigorniam ad Brigge-

northe dirigens exercitum, ubi castro per tempus aliquod defenso sed tandem per regem viriliter expugnato, castellanorum quibusdam occisis, quosdam fugatos utlagiavit, et eorum possessiones ubicumque in suo regno repertas confiscavit. Exinde Salopiam rege progresso, uterque Rogerus de Mortuomari ad reverentiam et pacem regiæ majestatis se offerebat, quos turris Londoniæ custodiæ rex transmisit. Mauricium vero de Berkleye, et H. D'andeleye ad instar illorum de Mortuo mari regi subjectos castro Wallingfordiæ destinavit. Comes Herefordiæ, Gilbertus Talbot, R. Damori et omnes alii eis adhærentes ad comitem Lancastriæ, in plaga boreali ipsos expectantem, se transtulerunt. Istis peractis, archiepiscopo præside in concilio Londoniæ celebrato, fuit per prælatos provinciæ Cantuariæ declaratum, quod processus exilii dominorum H. et H. le Spenser fuit erroneus et de jure adnullandus, unde cum concilio decreverunt exulatos honori pristino restituendos.

Anno 1321 nihilo pacificato ex parte baronum oblato regi, sed ipsis in sua pertinaci rebellionem contra regni statuta, rege inconsulto immo invito, manum armatam convocantibus, vexillis displicatis, armatis militantibus, rex exercitu recollecto, circa finem mensis Februarii in partes boreales suas copias promovit, cujus adventum barones animose præstolantes, post conflictum qualemcumque inter acies re-

galium et comitum Lancastriæ et Herefordiæ apud Bortone super Trentam, regiam præminentem potestatem comites fugerunt; quæ hebdomada consequente per multos de Humberlandia, duce Andrea de Harkleye, crevit in augmentum. Tunc vacillavit baronum animositas, consulentibus quibusdam quod in regis gratiam et misericordiam, promissa reverentia et debita subjectione, se commendarent, quod quidem consilium reddebatur odiosum comiti Lancastriæ, quem sic securitavit affinis cognatio sanguinis regalis, quod nullum infortunium, quia nullum timebat, ipsum terruit a cœpto; præsertim quum non contra regem, sed ut dixit, contra regni proditorem Hugonem virum se armasset. Comitem vero Herefordiæ, Humfridum de Bohun, virum per omnia bellicosum, corpore quidem strenuum, mente animosissimum, consilio satis providum, compulit in cœptum facinus continuare timor de periculo militum simplicium in fas et nefas sibi famulantium, quos non sine mortis supplicio, vel usque ad egestatem redactione, putaverat posse regi et dispensatoribus reconciliari. Unde pietate, quam habuit naturalem, generosus iste comes commotus maluit bello vinci, et secundum sibi visum pie mori, quam per asportationem suorum commilitonum, vel carceris aut exilii macerationem, seu mortis punitionem, sua mente pia diutine torqueri. Tandem 16<sup>to</sup> die mensis Martii Martis furore concitant par-

tes, vexillisque regalibus vexilla baronum sub ducatu comitum adversantia procedunt, quæ utinam contra inimicos crucis Christi plures in decuplo regis et comitum unanimi consensu fuissent displicata, et non Anglicus in Anglicum, cognatus in cognatum, affinis in affinem, miles in imperatorem fuisset debacchatus. Congrediuntur acies apud Borubrigge, ubi piissimus comes Humfridus, a quodam Wallico de sub ponte trans foramen tabulæ lancea, in inguinem ex parte secretiori, illa videlicet qua non solebant milites armari, sub pedibus neminem habente suspectum, proh dolor! transfoditur. Capiuntur in campo comes Lancastriæ et cum eo barones, baronetti et milites nonaginta, quinque scutiferis, clientibus et aliis impotentibus guerram resuscitare diffugio dimissis, et inter illos quibusdam militibus occultis. Captos, atque coram regni justiciariis domino Andrea de Harchleye et aliis ratiocinatos schismate et rebellionē et in caput regni conspiratione legitime convictos, ne impunitas illorum posteris tribueret incentivum taliter delinquendi, diversimode punivit censura legalis; nempe tantæ cladis principalem præsumptorem Thomam comitem Lancastriæ, cujus generositas et divitiarum amplitudo quasi immortalis cæteros fecerunt adhærere, sexto die post regis triumphum publica justicia suspendio damnatum, morte turpissima suum consanguineum non permisit tractari pietas regalis,

sed decapitato pœnam prodicionis misericorditer remisit. De numero cæterorum decem et octo in diversis locis Angliæ tractis et suspensis, quinque fugitivis exilio castigatis, cæteros squalore carcerali correptos, parcens multitudini regia miseratio dimisit redemptioni.

Anno 1322 apud Eboracum, parlamento post Pascha celebrato, Hugone le Spenser patre comite Abintone constituto, magno exercitu coadunato, ad festum sancti Jacobi rex Scotiam intravit. Scoti vero destitutis aut secum deportatis ultra mare Scoticum omnibus quæ possent faciliter auferre, solum victualibus evacuatum, præscii futuri adventus hostilis, Anglicis reliquerunt. Patriam nullo resistente rex transequitavit, et exercitum fame laborantem in Angliam remisit. Quo cognito, Scoti mari transmenso, die latitantes, de nocte laborantes, regem insequuti apud forestam de Blakemore, in regis hospitium, de nocte obsessum, insultum dedere; siquidem rege cum paucis ab ipsorum insidiis in australes partes elapso, captis ex ejus comitiva comite Richemundiæ, domino de Siliaco nuntio regis Franciæ, cum multis aliis, Scoti totam Marchiam usque Eboracum, rapinis et igne depascentes, villam de Ripouns sunt depopulati, et tandem Beverlacum pro quadringentis libris sterlingorum oblatis et statim solutis, intactum declinaverunt, ad propria reversi. Anni sequentis mense Junii, initæ

fuerunt treugæ cùm ipsis per annos 13 duraturæ.

Anno 1322 Philippo filio Philippi, rege Francorum, universæ carnis viam ingresso, germanus suus Carolus regni fraterni adeptus diadema, misit in Angliam dominum Andream de Florentia, et alium quemdam militem, ad citandum regem ut se præsentaret novo regi Gallorum, et faceret homagium pro ducatu Aquitaniæ et aliis suis terris in prædicti regis regno, et licet Hugo de Spenser et R. de Raldok precibus et meritis prædictorum nuntiorum mentes informassent sufficienter, ut ipsi putabant, quod causam sui adventus non notificarent regi, tamen in suo recessu monuerunt ipsum, consulendo quod homagium facturum tunc regi se præsentaret. Super qua monitione seu citatione dictus dominus Andreas de Florentia, qui Carolo fuit notarius, concilio regis Anglorum hoc ignorante, fecit publicum instrumentum, cujus virtute rex Franciæ contra regem facto processu, terras nonnullas de ducatu Gasconiæ et comitatu Pontiniæ in suas utilitates fecerat seisiri, rege Angliæ putante, sicut fuit informatus, prædictam citationem non valuisse de jure. Præfatam seisinam ex parte Caroli regnantis, cepit ejus patruus Carolus de Valoys, vir habens Anglicos maxime odiosos, qui cum magno exercitu, fungens affectata legatione, prætensis regis Angliæ, ut ducis Aquitaniæ, inobedientia et

homagio non facto, comitatum Pontiniæ et totam Angevam in utile dominium regis nepotis sui seisivit. Tandem progrediens ad villam de Regula, invenit eam defensam per Edmundum de Wodestoke germanum regis Angliæ, et comitem Cantia, inter quos finaliter initis treugis, duraturis per tempus, quo posset de pace inter reges tractari; reddita quoque villa, utraque pars ad propria remeavit.

Anno 1323, Rogerus de Mortuo mari, quondam in turri Londoniæ, ut superius dicebatur, incarceratus, auxilio proditorum, custodibus corruptis muneribus evasit, et in Franciam dilapsus, prædicto Carolo de Valoys exul Anglorum ipsorum inimico inclinatus adhæsit, in novum discidium atque miserabilem guerram intestinam reservatus per seminatorem zizaniorum. Proxima quadragesima in parlamento Londoniensi inquisitione facta contra Adam episcopum Herefordensem, per legales viros de comitatu Herefordiæ, super eo quod prædictus Adam adhæsit quondam illis de Mortuo matri, inimicis regis, accommodans eisdem equos et arma, juvansque ad dicti Rogeri evasionem; ipso quoque episcopo de talibus accusato nolente respondere, omnia temporalia ipsius episcopi et proditoris, auctoritate regia confiscantur. Unde inexorabile odium contra regem et ejus amicos concipiens Adam prædictus, vir ingenio naturali calidissimus, et prudentiæ mundanæ maximus expertor, faci-



norumque arduorum factuosus, ad regis degradationem et multorum nobilium exinanitionem, iracundiæ conceptæ venenum propinavit, serie narranda. Contra comites Wintoniæ et Gloucestriæ H. et H. procerum regni odium antiquum post regis victoriam apud Borowbrigge aequaliter mitigatum, aut certius timore potentiae regalis occultatum, causa clariore quam fuerat antiquum, vires non erectum, sed repens resumpsit. Multis nempe nobilibus sub comite Lancastriæ contra regem armatis, pepercit ut dictum est, regia clementia, quibus comites præfati animum regis fascinatam ad libitum tractantes, intulerunt mortem de merito, quam nonnisi per gratiam prædictorum comitum H. et H. evadere se posse non putabant, unde multi istorum diversas manerias pulcherrimas de sua hereditate pro securitate vitæ promissa prædictis comitibus, sæpe nominandis, non hilares datores sed ex tristitia et ex necessitate vendiderunt. Comites igitur Hugonem et Hugonem fecerunt cunctis odiosos, non solum quia cæteris omnibus a rege plus amabantur, sed quia spiritibus superbiæ et ambitionis agitati milites generosos per exactionem crudelis redemptionis depauperabant, et eorum filios prædia paternalia pro nihilo percutientes exhæredabant. Cuilibet videbatur onus importabile tres reges simul in Anglia sufferre; regem multi peramabant, sed reges Hugonem et Hugonem multo plures præ metu odiebant, nam

Illum quem metuit quisque perire cupit. Illos Herefordensis suis temporalibus privatus odiebat, illos Lincolnensis Henricus de Borewasch, quanquam regis promotione decoratus infula, tamen consimili culpa quo suus Adam sciens se noxium, valde metuebat, et per consequens odiebat. Contra universi militum et episcoporum istorum amici habuerunt animos ægro dolore sarcinatos, et in furiam proclivos, et sola reverentia regiæ pacis manus continentes. Ad hoc contra seipsos in universum nefas rapidissimam iram fœmineam regiæ concitabant, eo quod illorum avaro consilio et ordinatione familia consortis regiæ minorata, sibi certi rēditus cum præcisione fuerant taxati, parciori annona quam solebat victuræ. Unde avaritia insatiabilis fœminina, concupitis frustrata, aut certe prodigalitatē muliebris arctata, quarum alteri solet semper ille sexus indulgere, non solum contra Dispensatores, sed et contra maritum, plus quam illos consiliis mutatum exarsit in iras. Jam luget Francorum sanguinem regalem, immo regis filiam atque successive regum Lodowici, Philippi, et demum Caroli unicum sororem, regi sed avaro maritatum, promissam fore reginam, sed in conditionem ancillarem conversam, Dispensatorum, quos plusquam odio perfecto oderat, stipendiariam. Jam vellet cum fratre dominatore Francorum de marito questura verba commiscere. Jam cum patruo Carolo de Va-

lesio, cujuslibet facinoroso, secreta consulere, quomodo in Dispensatores vindicata, animum regis mariti servitutum sibi inclinaret, dampnat mare spatiosum, Neustriæ litora ab Anglia distinguens. Annuit mare desiccatum aut certe pontem latum securum ut posset, quas misit, fratri et avunculo crebras epistolas ipsa deferre. Angustiis talibus et aliis latentibus, indignatam reginam quis consolatur, nisi læsus per eosdem, scilicet Dispensatores quos execratur ipsa, videlicet episcopus Herefordiensis? cum isto deflebat casus communes, et alias rupturi cordis cogitatus expressit tacentis forsitan aliquando plus fessæ lacrimis quam querelis non permittit, nec ille calidus querelam finire, sed falsam compassionem, pro causa sua veris, sed pro injuriis reginæ fictis suspiriis, et nonnullis lacrimis contestans, non lenivit sed auxit indignationem qua tursit virago. Consciens secretorum utrorumque fuerat Lincolnensis episcopus, qui sciens qua cavea vulpem reperiret, reginæ blanditur, sophisticè compatitur, et ipso consentiente novam brigam intestinam ingeniatus, præsul Herefordiensis, asserens reginæ votis quælibet votiva successura, si in Franciâ fratrem visitans et patrum, eorum auxilium contra Dispensatores imploraret, effectio consilio votivo et finis quam volebat indubitanter efficaci: applaudens regina quæsivit occasionem transfretandi. Erat illis diebus, ut tactum est, sententia inter

reges Angliæ et Franciæ de pace tractanda, cujus legationis nuntium competentem oporteret ordinare: regi volenti pro tanto negotio transfretare, dissuadebant comites Wintoniæ et Gloucestriæ, timentes ne sui contubernio privati, inciderent in manus hostiles vicinorum, quibus sciebant seipsos odiosos. Præterea nec audebant cum rege transfretare, quos non latuit quod ipsos rex Francorum factione sororis suæ et Rogeri de Mortemere violento veneno odivit, quocirca ipsius reginæ jam regi blandientis cæterosque proceres prudentis fœminæ sibi conciliantis, atque pacem regnorum promittentis instantia non parva, prædictis quoque episcopis in id idem occulte consules regios instigantibus, atque proceribus pro majori parte ad hoc concordantibus, multum desiderata legatione fungitur regina.

Anno 1324 Isabella regina, regis Francorum unici fratris sui unica soror, caris et desideratis aspectibus et osculis præsentata, dum tractatur inter regem fratrem et maritum ducem Aquitaniæ et comitem Pontiniacensem, rex ejus maritus per totam quadragesimam et ætatem in Cantia perendinavit, ut inter ipsum et reginam nuntiorum concursus faciles haberet, reginæ negotium provenerat tractatim. Finaliter consensit parliamentum Francorum, quod si rex Angliæ resignaret suum jus in ducatum Gasconiæ atque comitatum Pontiniacensem Edwardo primogenito suo, ipse rex

Franciæ faceret prædictum filium regis Angliæ de prædictis ducatu et comitatu habere plenam seisinam, contentus de homagio quod ab eodem duce novo, scilicet Edwardo, nepote suo foret recepturus. Super his rex Carolus literas suas patentes et alias misit de salvo conductu pro primogenito Angliæ sibi mittendo: super articulis prælibatis fuerant in Anglia multi tractatus apud Lagendonam et Dovoriam, consulentibus quibusdam quod rex in propria persona mare transiret, et hi allegabant quod multa infortunia filio regis Gallicis astutis et cupidis exposito, patris et Anglicorum protectione destituto, possent contingere. "Quis" inquit "prohibebit regem Francorum dispari cuicumque velit parvulum maritare, aut sibi curatorem vel tutorem assignare?" Istis veraciter recte consulentibus comites Wintoniæ et Gloucestriæ non consenserunt, pro eo quod non erant ausi cum rege transfretare, nec ipso transfretato in Anglia expectare, propter causas prius assignatas, quibus in ipsorum damnum episcopus Lincolnæ vehementer assentivit, sperans ad finem deduci tractatum, quod jam inter ipsum et reginam cum episcopo Herefordiæ fuerat machinatus, ut in parte tangit series præscripta. Prædictis comitibus rex nimis compatiens, timensque ne seipso peregre profecto in ipsorum comitum exinanitionem nobilitas baronum iterum desæviret, et ab olim sopitam

resuscitaret guerram intestinam, unde consentientibus quod filium ejus mitteret præbuit assensum. Fecit itaque rex præfato filio suo chartam de præfatis ducatu et comitatu habendis et tenendis sibi et heredibus suis, regibus Anglorum, addens quod si patre suo superstite, filius moreretur, prædia præfata in patris dominium reverterent, cavens etiam per quasdam additiones ne rex Franciæ posset ipsum Edwardum maritare, aut tutori sive curatori cuiquam submittere. Hæc ordinatio fuit facta ex consensu prælatorum et aliorum regni nobilium apud Doveriam, in crastino natalitatis beatæ Mariæ, anno regni regis 18vo, et die Jovis sequente, prænominatus Edwardus regis primogenitus cœpit enavigare, habens secum W. episcopum Exoniæ et alios nobiles in numero competentis. Exinde circa festum sancti Matthæi, fecit homagium avunculo suo regi Franciæ, sub protestationibus factis ex utraque parte.

Completis negotiis pro quibus in Franciam missa fuerat regina, statim post festum sancti Michaelis scripsit sibi ejus maritus, præcipiens quod filium suum in Angliam reduceret cum festinatione. Rescripsit ipsa mulier, quod dominus rex Franciæ frater suus nimia caritate foveret illos et secum invitos detineret, unde remissa magna parte utriusque familiæ, residium illius anni certa negotia pro quibus ex intentione proficiscebatur ipsa transegit. W. episcopus Exo-

niæ non in Angliam jussus redire, a quæstione tamen secreti concilii reginæ videns se totaliter sequestratum, sed R. de Mort' et alios profugatos regis domini sui inimicos locum suum quoad reginæ familiaritatem usurpasse, clam repatriavit. Commovebatur Anglia de reginæ mora ad regis displicentiam extra regnum filium suum detinentis, quibusdam asserentibus quod inviti detinebantur, aliis conjicientibus quod illicitis complexibus et de Mortuo mari delinita, cum ipso et aliis profugis Anglorum quos in Francia reperuit, noluit redire, sed has et alias causas diversas quibusdam falsas, quibusdam vero semiplenas prætendentibus, episcopi Lincolnensis et Herefordensis conscii negotii, cujus finem expectavit irata virago, conscientiæ secretum diffilarunt.

Vindicta muliebris anni dispendio jam excogitata, calicem propinandum, suorum amatorum consultu finaliter præparavit. In fine quippe anni Hanegoudiæ in partes regina profecta, toti mundo filium suum amabilem ac formidabilem absque consilio procerum Anglicorum maritavit, comitis Hanoniæ filiam Philippam sibi conjungens nuptiis, licet inconsultis, attamen prolis nobilitate multigena successu postero beatificatis, ut suo loco patebit. Colligitur exercitus armatorum de Hanonia et Germania, vocantur ad stipendia ex dotibus novæ nuptæ persolvenda. Præerant exercitui militares viri Joannes comitis Hanoniæ ger-

manus, et Rogerus de Mortuo mari, immediate secretissimus atque principalis de privata familia reginæ. Classem ad Angliæ litora ventus directam votivus depulit in portum Horewille, die Veneris proxima ante festum sancti Michaelis, cui se obvios confœderavit comes Marecallius et Henricus comes Leicestriæ, et cum eis baronum atque commilitonum proterva multitudo, nec defuerunt prælati ducibus contra patriam et patriæ principem infideliter commixti. Sed tanti facinoris machinatores sceleratissimi suæ disciplinæ armis doctæ sceleris obviaverunt, ad diem expectatum, non quidem lanigerorum aut ovium, sed luporum armigerorum crudelium pastores, minus quam tyranni. Horum phalangis præcipue ducatum præbuere ibi duo seniores a quibus egressa est Babylonica contra Susannam. Sed pro Jezabele hi inquam Baalis sacerdotes, alumni Jesabel, scilicet Lincolniensis et Herefordiensis, cum iis quoque Dublinensis atque Eliensis, cum eadem regina magnum exercitum congregarunt: proditori facundo verba committuntur Herefordiensi, qui pleno conspiratorum parlamento peroravit, expediens fore regno quod tantæ nobilitatis ibi congregatæ consilio regendus rex coarctaretur, reginæ quoque offensa inexorabilis per voluntatem suam factam de comitibus Wintoniæ et Gloucestriæ placaretur. Sed quia pro constanti fuit apud omnes quod rex amicitiae cultor fidelissimus suos amicos comites



prædictos, in quorum necem fuerat regina debacchata, non sine securitate suæ comitivæ dimitteret, nisi invitus, itemque quod sui iudicio innocentes illos ab invidorum tyrannide tueretur, consenserunt finali præcipuorum juratoria cautione, quod manu armata regis præsentia per illos peteretur. Mittuntur ab exercitu epistolæ episcopales ad suos coepiscopos, et alios amicos, tot duces, tot comites, totque barones Francigenas, cum illorum copiis plenissimis per regem Francorum pro tuitione juris reginæ sororis suæ missos, quod vix eorum victui Anglia sufficeret. Consternitur pavore grex indigenus sine pastore expectans triumphum partis unius, paratus se subdere virtuti potiori. Præterea prosiliit mendacium ab exercitu in omnes regni plagas divulgatum, quod scilicet pontifex Romanus omnes Anglicos absolvit a fidelitate jurata suo regi, fulminaretque sententiam excommunicationis in omnes contra reginam arma deferentes: ad hujus mendacii confirmationem finguntur duo cardinales ex exercitu reginæ adhærentes, nuntii præmissorum.

Anno Domini 1326 pontificatus domini Joannis papæ xxii anno 11, regis vero Angliæ Edwardi 20. et ultimo, guerra intestina Anglicos consueta exercitare per exercitum descriptum renovatur, quæ proinde non poterat diu durare, quod rex et comites, quos expetivit manus armatorum proditiosa, invalidi ad re-

sistendum, se putantes munitionibus aptis defensionis et fugam consulentes se commisisse, frustra sunt conati. Rex nempe percipiens per suos exploratores, quod uxori suæ tota pæne regni communitas falsis territa rumoribus adhæsit, cum duobus sæpedictis comitibus et Roberto de Baldok, paucis quoque aliis de sua secreta familia, ad partes Wallicas se transmisit, dimisso comite Wintoniæ ad tuitionem villæ et castri Bristolii. Rex vero deinde ad Chepstowe progressus cum comite Gloucest., et magistro Roberto de Baldok, aliis quoque valde paucis, se commisit navigio, intendens ad insulam de Lunday proficisci. Lunday est insula in flumine Sabrina, duorum milliarium undequaque longa, abundans pascuis et avenis, cuniculos producit copiose, columbis etiam struthionibus (quos vocat Alexander Necham Ganymedis aves) nidos habet prægnantes, aquas insuper recentes de fontibus scaturientes incolis ministrat, ipsa licet ab omni parte aquis amarissimis fuerit circumcincta. Unum dumtaxat aditum habet iste locus, quo vix duo viri poterunt conjunctim pedites incedere, ex omni alia parte, rupis horrendæ alta prominentia prohibens aggressum. Hanc insulam victualibus, ut dictum est, naturaliter abundantem, tamen ex abundanti vino, oleo, messe, frumento, braseo, piscibus, salsis carnibus, et terrestri carbone instuffatam, regem volentem adnavigare, ventus contrarius prohibuit omnino, unde

sævas tempestates maris vix declinans, applicuit in Glammorgan, et se transtulit ad abbati-  
am et castrum de Neth, ubi Wallensium, qui se promittebant secum velle vitam et mortem  
concretare, falsa promissione nimium confisus latitavit. Regina jam mulier potentissima sub vexillo filii non animo malitioso sed male ducti, patrem prosequenti, jussit exercitum in regis persecutionem promoveri, a quibus perventum est Oxoniam, ubi coram universitate, præsentibus regina et puero duce Aquitaniæ, sed ducto, Rogero quoque de Mortuomari et aliis satellitibus, principalis machinator tantæ cladis, Adam Herefordiensis, vocatus episcopus, de adventu reginæ et causa exercitus publice prædicavit, assumens pro themate, *Caput meum doleo*, quam auctoritatem ad talem duxit quæstionem, quod auferendum foret necessario caput languidum de regno, nec ullis Hippocritis vinculis salutiferis alligandum. Deinde exercitum Gloverniam promotum auxerunt notabiliter multi boreales reginæ supervenientes. His ita se habentibus, vulgus Londoniensis reginæ et Rogero de Mortuomari volens complacere, bonæ memoriæ dominum Walterum episcopum Exoniensem, 15 die Octobris in medio civitatis furiosæ captum decapitavit, quosdam quoque alios regi fideles ea sola causa quod regis ministerio fideliter adhæserunt, atrociter necuere. Caput vero episcopi reginæ apud Gloverniam suo exercitui incu-

banti ut sacrificium dominæ bene placitum obtulerunt. Intrans in super turrim Londoniæ omnes incarceratos liberarunt, et ita per edictum publicum reginæ omnes fere incarcerati per totam Angliam dabantur libertati. Banniti quoque et fugitivi paci fuerunt revocati, ut prætensis generali pietate et misericordia in novi regis, veteri mitioris coronationem populi cupiditas excandesceret. Tunc quotquot erant facinorosi aut quomodocumque obnoxii regiæ majestati apud reginam cunctis imperantem, summæ gratiæ sublevamen faciliter sunt consequuti. Tunc regii ministri per totum regnum confusi sunt regem advocare, aut se regis familiares nuncupare; tantus pavor gregem perterruit rege pastore percusso. Omnes regii ministri reperti in turri Londoniæ per Londonienses amoti fuere, novi quoque constituti sub nomine domini Joannis D'Eltham, pueri 9 annorum filii regis, quem custodem civitatis et turris nominarunt. Fuit enim apud omnes regis adversarios cautela generalis, quod, nisi nomine alicujus filiorum suorum, nullum facinus læsurum regiam majestatem ordiretur, ut, si forsitan justitia regalis ad libere faciendum quod vellet in regno et posset de jure foret aliquando resuscitata, in filios suos proprios tanquam demeritorum principales auctores desæviret. Sic confusione fas et nefas sunt collisa, ut omnes rapaces, et homicidas, et sub indifferentia quoscumque facinorosos, sceleris impu-

nitās, et veniæ facilitas in sua flagitia provocarent. Sic crevit subito rapacitas impunita, ut ubicumque reperiretur regius amicus, aut suis spoliaretur aut vita privaretur. Sed impune. Sufficiebat enim injurianti exprobare patienti regis amicitiam. Profuit sub ista confusione cuilibet facinoroso suis flagitiis adjicere proditorem: multis in isto modo crevit facultas, reddebatur libertas, et si quos præterita justitia regalis punivit proditiosos, ipsos ad pristinas divitias et honores restituit potentis muniticentia reginæ.

Gloucestria relicta, ad villam Bristolli, quam ut præactum est occupavit Hugo Despenser pater, regina cum exercitu properavit, obsessa tam villam quam castrum, si oportuisset. Sed loca munitissima solita reserare desperatio compulit generosum istum comitem in iratæ foeminæ misericordiam se et sua cuncta commendare. Reddebantur igitur villa cum castro, quo ingressa, virago jussit comitem prædictum sine quæstione seu responsione, finali supplicio detorqueri. Alligatur confestim strenuus iste miles, brachiis et tibiis in longum protensis, et in ipsius viventis conspectu, viscera propria de ventre inciso crudeliter extracta, ignibus traduntur, residuum quoque corporis equis detractum, in communi furca latronum fuerat suspensum. His ita confectis, ad partes Marchiæ regina conversa, apud Herefordiam per mensem commorata, exercitum

divisit, et cum ejus una parte misit Henricum comitem Laicestriæ et magistrum Resum ap Howel clericum, natione Wallicum, comprehendere regem, et sibi adhærentes. Prædictus comes erat germanus sæpe nominati et hæres comitis Thomæ Lancastriæ, et iste Resus secum missus, quondam justitia regali in turre Londoniæ incarceratus erat, sed per reginæ potentiam suæ libertati restitutus. Tam comes prædictus quam iste Resus habuerunt possessiones et ampla dominia, juxta locum in quo rex latitabat, fuitque præterea Reso tota patria valde nota. Prædicti finaliter comes et clericus, non sine magnæ pecuniæ interventu, Wallicis corruptis, regem in monasterio de Neth, Hugonem Despenser filium, desertum pro fugæ præsidio capessentem, per exploratores Wallicos invenerunt. Captis igitur rege, Hugone prædicto comite Gloucestriæ, magistro Roberto de Baldok, et Simone de Redinge, aliis sine cura fugæ dimissis, custodiæ comitis Leicestriæ rex, auctoritate concilii episcopi Herefordiensis commendatus, ad Kenelworthe castrum est adductus, ubi per totam hiemem in satis honesta mansit comitiva, nec aliter quam oportuit regem captivum custoditus. Regina, ut prædictum est, apud Herefordiam cum magistro totius suæ malitiæ, episcopo scilicet istius civitatis exercitui præsidente, Edmundus comes D'Arundel, Joannes Daniel et Thomas Miceldeure ad instantiam Rogeri

de Mortuo mari, qui perfecto odio sed non prophético oderat illos, fuerunt decollati. Postea comes Gloucestriæ Hugo de Spenser filius, in vinculis oblatus oculis terribilibus indignatæ, non expectata ratiocinatione cujuscumque judicis, fuit ab eadem civitate, scilicet Herefordiæ tractus, suspensus, decollatus, et in quarterias divisus; cujus caput fuit missum ad pontem Londoniæ, et quatuor quæteria ad quatuor regni partes fuerunt distributa. Simon etiam de Redinge fuit ibidem tractus et suspensus, sed magister Robertus de Baldok post multas contumelias, carceri episcopi Herefordiensis fuit mancipatus, ubi nimis dolorosam egit vitam usque ad proximum sequens festum purificationis. Tunc siquidem episcopus Herefordiensis, omnis hujus mali architector, fecit ipsum ad se Londoniæ adduci, quo deductum, Londonienses non sine dissimulante consensu episcopi rapuerunt, et apud Newgate incarceraverunt, quærentes occasionem contra ipsum, tamquam proditorem, ut possent distractum, suspensumque mortuis adnumerare, sed tandem post multas inquisitiones in ipso non inveniunt maculam proditiõnis, nec alius felonæ, ita inhumaniter ipsum tractaverunt, quod eodem anno cito post Pascha, obiit in tormentis. Tanti sceleris, scilicet rapinæ et jugulationis clerici atque sacerdotis Dei, non improbabiliter aliquis putabit auctorem manifestum vel occultum, qui de medio luporum misit in ovile

suum tutissimum carcerem, videlicet episcopalem, pro ove sibi et lupis tradito tutelæ quam portendit, quod ab Herefordia ipsum Londoniam fecerat traduci, a suo scilicet episcopatu in diocesim alienam, a loco munitissimo in montes pardorum. Quid insuper significat quod clerici sibi traditi rapinam atque sacerdotis jugulationem ipse potentissimus prælatus provinciæ, salva dignitate archiepiscopatus, debita diligentia non curavit punire? Credo quod in tali casu verum est id Quintiliani, Torquentem vincit quisquis occidit, et ideo sub silentio pallio querelam, quam cum ecclesia sub altare Dei audivi per voces occisorum innocentum descriptam, et aliis non paucis per reginam, episcopum Herefordiensem et Rogerum de Mortuo mari ut cuilibet illorum placuit confectis, ipsi Londoniam se pariter transtulerunt, ubi cito post Epiphaniam, in parlamento per ipsos, quibus nullus ausus est resistere, convocato, fuit ordinatum et constitutum, quod ex parte totius regni tres episcopi, duo comites, duo abbates, quatuor barones, et de quolibet comitatu Angliæ duo milites, item de qualibet civitate in villa capitanea cujuslibet civitatis, et similiter de portubus duo burgenses mitterentur ad regem apud Kenelworthe custoditum, facturi infra scripta. Joannes de Stratford episcopus Wintoniæ, Adam de Torletone episcopus Herefordiæ et Henricus episcopus Lincolnæ collegæ princi-



pales negotii tractandi fuerunt missi, quorum comitivam, adhærens prædicto episcopo Wintoniæ, TU GENEROSE MILES qui hæc vidisti et in Gallico scripsisti, cujus ego sum talis qualis interpres, TE DICO DOMINE THOMA DELAMORE, tua sapienti et inclita præsentia decorasti. Præcesserunt cæteros itinerando episcopi Wintoniæ et Lincolnæ, secretius alloquentes regem, una cum custode suo, comite Leicestriæ, ipsum inducturi, ut suo primogenito resignaret coronam. Astute satis isti tres circumvenērunt regem, promittentes sibi non parciorem honorem post oneris depositionem, quam antea solebat ab omnibus habere regia celsitudo. Adjiciebant quoque adulterantes verbum veritatis, quanti foret meriti apud Deum pro subditorum pace, quam ea sola via spondebant affuturam, regnum respuere temporale, in hoc non indubitanter cum Cayfa pontifice pontifices prophetantes, ex alia parte sibi comminabantur, quod nisi resignaret, populus sibi abdicato reddito homagio et fidelitate, filiis quoque suis repudiatis alium in regem exaltarent, quam de sanguine regali. Istis et aliis importunis promissis atque minis inflexum piissimum cor regale, non sine singultibus, lacrimis, et suspiriis, monitis episcoporum condescendit, paratior pro Christo vitam finire, quam suorum filiorum exhæredationem, aut regni diuturnam perturbationem oculis viventis corporis videre, sciens quod bonus pastor animam suam ponit

pro ovibus suis. Finaliter ad castrum regis inclusivum, nuntios cæteros adduxit ille infandus imbassiator Adam Torletone Herefordensis, quos in regis camera secundum suas dignitates ordinice collocavit. A multis temporibus affectata ex omni promissione sibi ipsi reservans, tandem regia majestas togam nigram induta, de secretiori camera progrediens suis servis se representans, conscius negotii pro quo venerant, præ dolore subito sui impositus effectus corruit expansus, cui accurrentes comes Leicestræ et episcopus Wintoniæ, vix regem semivivum erexerunt, quem ad mentem et vires pristinas utcumque revocatum alloquebatur Adam Herefordiensis, exponens causam adventus nuntiorum mira impudentia, non confusus regis animum atrectare, cui se putavit præ cæteris mortalibus exosum fuisse. Adjecit suis dictis ille Herefordiensis, quod oporteret regem regni diadema suo primogenito resignare, aut post sui repudium invite pati, quod eligerent in regem quemcumque visum ipsis aptiorem pro regni tutela. His auditis, rex cum fletu et ejulatu respondit, quod multum doluit pro eo quod populus sui regni taliter exasperatus foret contra ipsum, quod suam dominationem fastidirent; finaliter quoque subjunxit suo beneplacito valde convenisse, quod scilicet filius suus populo sic fuit acceptatus, ut ipsum in regem affectarent habere. In crastino iidem nuntii homagia et

ligiamenta domino Edwardo de Carnarvan nuper regi, per manus Willelmi Trossel militis, ex parte totius regni refuderunt, et Thomas de Blount miles, regalis hospitii senescallus, fractione virgæ suum officium designantis, regiam familiam nuntiavit esse licentiatam. Post hæc ad parlamentum Londoniæ reversi, responsum regis plene, immo plenius quam facta fuit, retulerunt. Factam resignationem, communitas regni veterum fastidiatrix novorum semper appetitrix, gratanter admittens, suum primogenitum dominum Edwardum bonæ indolis, undecim annorum, promptissime erexit, ut ita plenius diceretur, cujus pueritia quibusdam eo plus cessit ad votum, quo sub tam molli pastore sperabant gregem regni suis libitis minare. Reginæ quoque, dominæ scilicet Isabellæ de Carnarvan, fuit talis ac tanta dos assignata, quod regi filio suo et reginæ Philippæ vix remansit tertia pars reginæ coronæ pertinentium. Domino vero Edwardo de Carnarvan comitis Leicestriæ deputato custodiæ, centum marcas pro mense expendendas ordinarunt regina et epis-Herefordiensis, et Robertus de Mortuo mari, de fisco regali tribuendas.

Itaque generosus dominus Edwardus quondam rex, reginæ coronæ atque libertatis privationem pro amore Jesu Christi pauperis crucifixi patienter admittens cum suo consanguineo comite Leicestriæ Henrico mansit, nullo egens, quo reclusus et vir monasticus indigebat; nul-

lum infortunium in ima depressus deplanxit Dei servus, nisi quod uxor sua, quam non potuit non amare, nolebat ipsum videre, cujus amplexibus plusquam per annum vixit viduatus, et quod nec illa permisit filium suum novum regem, aut aliquos suorum liberorum sibi præsentialia solatium præbere. Quot amorosa telemata voce submissa tanquam alter Orpheus continuit, sed incassum: ah! ah! quoties deflevit querulus quod tam generosa et tot naturæ dotibus tam speciosa, potuit proditionis amaricari felle! auscultantibus quandoque non siluit sub juramento, quod postquam primo vidit illam, nunquam aliam mulierem potuit amare. Amore languentis in cæteris adversis patientia comitem custodem et omnes illorum familiares ad miserationem tantam provocavit, quod generosi militis amorem languidum, uxoris suæ cordi duriori incude adamantino non dimiserunt nuntiare, unde non amore mota sed furori commota ferrea virago, secreto cogitatu cœpit expavescere, ne unquam per ecclesiam miseris consuetam misereri foret compulsa viro repudiato iterum impertiretorum: excogitavit enim quod a fortiori homines indifferentes et pietatis alumnos in sui miserationem provocaret, qui suos inimicos, quos ipsa supra ministros ordinavit, per adversitatum tolerantiam et omnium virtutum uberem fragrantiam, ad pietatem sui inclinavit. Tali bus et aliis cogitatibus angustata, truculenta

leæna recurrens ad consilium sui magistri sacerdotis Baal illius Herefordiensis, ab ipso recepit ipsum responsum, quod certe sanguinem tetigit quando comes Edwardo suo consanguineo compatiebatur. Constituit igitur fœmina crudelis ex ordinatione magistri sui doli episcopi prædicti, quod Thomas de Corneye et Joannes Maltravers, duo milites nequam, ipsum Edwardum de custodia comitis Leicestriæ receptum ducerent quo vellent, ita quod nullus sui benevolus, seu indifferens persona ipsum libere adiret, vel sciret ubi diu perendinaret. His duobus nequissimis proditoribus fuerat commissum auctoritate principali, ut in quamcumque regni plagam declinarent, omnibus fortalicii, castri, seu villæ, quamdiu ipsis placeret, et quandocumque, custodiam haberent, quolibet de regno sub pœna confiscationis census et vitæ, prohibito contravenire hujus rei mandato. Educitur de nocte a Kenilwortha Edwardus inter inimicos, securus de vita plena doloris, primo ad castrum de Corf, deinde Bristolli reclusus per tempus aliquod in castro, quousque illud foret quibusdam burgensibus de villa notum, qui ad ipsius liberationem et abductionem in partes transmarinas quam optabat se disponebant, quorum consilium ut primum innotuit custodibus Edwardi, sub noctis cujusdam opaco silentio, ipsum de loco illo Berkeleiam abduxerunt. Inhumanitate majori quam ferina Edwardum sui tortores tractavere,

cui equitare non licebat nisi de nocte, nec aliquem videre, sed nec ab ullo videri sibi amicaliter. Ægrotantem compulerunt exiliter indutum caput habere discoopertum; volentem dormire non permisere, non quales volebat sed quos nauseabat cibos ipsi præparavere, verbo suo cuilibet contradixere, vesanum se esse calumniavere, et ut breviter concludam, in omnibus suæ voluntati seipsos contrarios exhibuere, ut frigore seu vigiliis vel cibis intemperatis aut fastiditis, vel saltem præ melancholia aliqua communi infirmitate correptus exspiraret, sed e contra vir in naturalibus optime dispositus, fortis ad labores, et ad universos gratia Dei patiens languores, omnes versutias malignantium natura vel gratia superavit. Venenum quampluries propinaverunt servo Dei ministri Belial, quod aut fortitudine naturali evacuavit, sicut solent viri temperatæ complexionis secundum Galenum in tertio simplicis medicinæ; aut quod verius credo, manifestiori martyrio suum confessorem altissimus reservavit. Attestata scribimus, miles reverende, quæ luce clariora intonarent mundo, si non timor æmulatorum regis devotissimi adhuc superstitem, veritatem clarere prohiberet, quæ non poterit semper occultari tamen. Abducitur Edwardus, ut præscriptum est, versus Berkeleiam, satrapis Satanæ equitans stipatus. Duxerunt exemplar patientiæ per grangias castro Bristolli pertinentes, ubi de fœno factam coronam,

capiti jamdudum per oleum sanctum consecrato imposuit nefarius ille de Corneye, ausus contingere Christum Dei, cui illudentes ironia nimis acerba milites dixerunt: "avant Sire kinge," quod est dictu, pepedens [*sic*] procede, domine rex. Metuentes maligni ne pariter directe incedentibus obviaret aliquis amicus Edwardi, vel manus misericors ipsum liberatura, declinaverunt ad sinistram, equitantes per mariscum ad fluvium Sabrinæ terminatum. Ingeniati sunt inimici Dei, quomodo Edwardum difformarent, ne foret faciliter notus alicui, unde ipsius cesariem tam capitalem quam barbam radendam constituerunt, venientes provide ad fossam in itinere scaturientem, jusserunt ipsum rasu descendere, cui assidenti super cujusdam talpæ monticulam, pelvem cum aqua frigida de fossa recepta attulit barbitonsor, cui et aliis asserentibus quod aqua talis pro tunc deberet sufficere, ait Edwardus; "Velitis nolitis, habebimus pro barba aquas calidas," et ut promissum veritas consequeretur, cœpit profuse illacrimare. Ista mihi retulit vivens post magnam pestilentiam Willelmus Bishop, qui ductoribus Edwardi præfuit, unde confessus et contritus pœnituit sub spe misericordiæ divinæ. Tandem devenerunt ad castrum Berkeleia, ubi patientiæ exercens virtutem reclusus ut anachorita, nobilis Edwardus, ubi cum beato Job regno temporali spoliatus, nedum per alienigenas sed per uxo-

rem, servos et ancillas, honorum et utilitatis dominio privatus expectavit regnum æternum pro terreno. Uxor ejus Isabella impatienter ferens quod vita sui mariti, quem nimium odivit, erat ita diu protelata, conqueritur magistro suo Herefordiensi, fingens sibi somnia pessima interpretatu, unde sicut vera dixit, sibi timuit ne vir suus, aliquando dignitati pristinæ restitutus, ipsam tamquam proditricem ignibus aut servituti perpetuæ damnaret. Episcopus etiam læsæ regiæ majestatis sibi conscius timuit hoc idem quod Isabella. Aliorum non minus ob eandem causam intendebatur metus, quos adversus Dominum et adversus Christum ejus diabolus conföderavit. Placuit ergo non paucis utriusque sexus magnæ dignitatis, tam ecclesiasticæ quam secularis, quod causa tanti metus foret cum Edwardo consopita quem ut quisque metuebat perire concupivit. Mittuntur igitur literæ increpatoriæ custodibus Edwardi calumniantium fallacissime quod remissius quam deberent ipsum custodirent, et nimis delicate confoverent. Intimatur etiam eisdem sed semiplene, quod Edwardi interitus aut naturalis aut violenter indifferenter complaceret. Hic vigeat sophismatarum fallacia hactenus per episcopum qui scripsit: EDWARDUM OCCIDERE NOLITE TIMERE BONUM EST.

Hoc sophisma in duas propositiones resolutum, quarum prima constet ex tribus primis terminis, videlicet istis: "Edwardum occidere



nolite," et secunda ex aliis tribus, scilicet istis "timere bonum est," nulli perfidiæ videtur persuadere; sed receptores literarum, quos non latuit animus episcopalis, aliter sophisma commutaverunt, scilicet ad sensum istud: "Edwardum occidere nolite timere," et tunc subjunxerunt legendo, "bonum est," malum dictamen consci de malo, non dictantis, male accentuantes. Tali sophismate usus est iste callidus sophista, sciens quod sine sui inscripto consensu non audebant exequutores crudelis mandati Edwardum occidere, ne sine consensu majorum de regno aliquando forent accusati hoc fecisse. Episcopus vero in necem Edwardi finaliter determinatus, et provide sibi ipsi forsitan accusando de consensu providit caute, ut eadem auctoritas sui mandantis affectionum contrariarum expressiva, uno modo exposita, vel attenuata animaret stultos in mortem innocentis, sed sub alio sensu facinoris tanti ipsum immunem faceret putari, quod ut fuit cogitatum contigit de facto. Denique Edwardi interfectores putantes proinde amicitiam Isabellæ et episcopi sophisticatedi deceptoris erga se fuisse confirmatam, invenerunt illam et episcopum ferventes exactores pignoris eis traditi, scilicet domini Edwardi, et stipendium proditorum, scilicet mortem vilissimam pro demeritis ipsis comminantes. Unde stulti confusi quid facerent ignoravere, nisi quod epistolam Isabellæ et episcopi, aliorum

etiam conspiratorum sigillis munitam in testimonium, de ipsorum consensu eis ostenderunt. Epistolam episcopus non recusavit, sed suam et aliorum confitebatur, sed interpretabatur illam ad sensum innocentia et fidelitate impregnatam, sed ipsos tamquam falsos suarum literarum expositores et innocentis auctoritate propria malos tractatores, minis terribilibus et ipsis in fugam coactis, affligere non cessabat.

Hæc de litera sophisticateda. Ad castrum prænominatum ductus dominus Edwardus per dominum feodi Thomam de Berkeleia fuerat humaniter et benigne receptus et tractatus, sed post receptionem epistolæ, prædicti exercuerunt tortores Edwardi illis commissam potestatem de tutela castri. Jubetur protinus Thomas de Berkeleya nullam cum Edwardo habere familiaritatem, cujus non solum pœnitens, sed verecundus quod sibi fuit denegatum facere quod vellet, et quod antea de jure liceret, domino Edwardo finaliter cum suspiriis salutato, ad alia sua loca transmigravit. Tunc incepit Edwardi consummativa persequutio, adusque sui mortem continuata. Primo nempe reclusum in camera tutissima per exhalationem cadaverum in subcellario positorum ipsum torserunt per multos dies pœne usque ad suffocationem. Unde foetorem illum intolerabilem fuisse pœnam maximam quam unquam sustinuit, ad fenestram cameræ una dierum

carpentariis a dextra laborantibus servus Dei deplanxit. Videntes tyranni quod viro strenuissimo non posset per foetorem mors prævalere, nocte, decima calendas Octobris in lecto cubantem subito præoccupatum, cum pulvinaribus magnis atque gravi mole, amplius quam quindecim robustorum, ipsum oppressum et suffocatum, cum ferro plumbarii intense ignito, trans tubam ductilem ad egestionis partes secretas applicatam, membra spiritualia post intestinas combusserunt, caventes ne vulnere in regio corpore, ubi solent vulnera requiri, per aliquem justitiæ amicum reperto, sui tortores de læsione manifesta respondere, atque pro illa pœnam subire forent coacti. Taliter obruitur miles strenuissimus, emisso clamore, audientibus infra castrum et extra, satis noto quod esset violentiam mortis patientis; clamor ille expirantis multos de Berkeleia, et quosdam de castro, ut ipsi asseruerunt, ad compassionem et orationes pro sancta anima migrante, evigilavit. Sic quem mundus odivit, suumque magistrum Jesum Christum prius odio habuit, primo præceptorem de regno Judæorum reprobatum, deinde discipulum regno Anglorum spoliatum, recepit celsitudo regni angelorum. Gloriosæ atque bonæ finis Edwardi proditorios ministros, scilicet Thomam de Corneye, et Johannem de Maltravers persecutio Isabellæ et episcopi Herefordiensis, ut proinde viderentur manus innoxias et mentes habuisse, utla-

giavit, et ut tactum est, ad exilium abegit. Ille de Corneye Marsiliam fugitivus, clanculo post, infra triennium cognitus, captus, et versus Angliam reductus, pœnam pro demeritis recepturus, in mari fuerat decapitatus, ne forte magnates et magnos prælatos et quamplures alios de regno, sibi suum nefas monuisse, et in illud sibi assensum præbuisse accusaret. Alter vero, Maltravers, partibus Teutonicorum agens pœnitentiam diu latitavit.

Postquam gloriosus rex Edwardus regni diadema, ut præscriptum est, suo primogenito domino Edwardo de Windesore resignavit, habitis de hoc certis rumoribus, in parlamento Londoniæ, regni proceres et prælati ipsum Edwardum Edwardi primogenitum, 15 annorum adolescentem, Deo et toti mundo gratiosum in patris successorem promptissime admiserunt, atque prima die Februarii apud Westmonasterium, per archiepiscopum Cantuariensem Walterum Renalde coronari fecerunt. Tantæ solemnitati interfuerunt multi tam alienigenæ quam indigenæ, et præcipue stipendiarii Isabellæ reginæ matris suæ, quos, ut dictum est, de Hanoniâ et Germania ipsa invitavit. Novus itaque rex regia corona insignitus, quam beatissimus confessor sanctus Edwardus suus prædecessor gestare solebat, quantumcunque gravis ponderis et amplam, tamen ita viriliter ipsam gessit, ut inde mirarentur qui pueri tenitudinem et amplitudinem coronæ, atque

ponderositatem experti noverunt. Eodem die tres filii Rogeri de Mortuo mari atque multi alii militiæ cingulo fuerunt decorati.

Hoc anno in vigilia sancti Nicolai fuit magister Jacobus de Berkeleya concorditer electus in episcopum Exoniensem, et Dominica media Quadragesimæ Cantuariæ consecratus. Post coronationem suam novus rex Edwardus, hujus nominis tertius post conquestum Normannorum, cum matre sua et stipendiariis ejus prædictis, congregato magno exercitu versus Scotiam transmeavit, cum quo plures iverunt magis voluntarie quam invite. Apud Eboracum exercitu profecto, fuit gravis conflictus inter cives Eboracenses et Hanonienses, in quo multis civibus de nocte peremtis, atque civitate partim incensa, post reformatam pacem Hanoniensibus nimis favorabilem, ad partes Scotiæ exercitum promovet, quem apud Stannopparke Scoti expectarunt, et licet exercitus Anglorum fuisset Scotorum in triplo major, et omnium judicio majori firmitate compositus, attamen Scoti permissione quorundam magnorum proditione cum ipsis confœderatorum, sine scitu amicorum regis Angliæ ad sua sine læsione sunt reversi. Rex in Angliam, cum debili principio meliorem gratiam præcessuro, reversus, Hanonienses et alios stipendiarios ad suas partes remisit, magnam pecuniam et multa jocalia delicata sibi data, secum deferentes.

Isto anno domino Jacobo de Berkeleia episcopo Exoniensi viam universæ carnis ingresso, dominus Joannes de Grandissono, per provisionem papæ, in festo sancti Lucæ in curia Romana fuit in episcopum Exoniensem consecratus. Eodem anno transivit ad cœlestia dominus Edwardus pater regis, ut dictum est supra. Item hoc anno, Carolus de Valesio patruus regis Franciæ Caroli, atque Isabellæ matris reginæ Angliæ, qui Anglicos semper odio habuit, et ut dictum est, contra comitem Cantia in Gasconiam duxit exercitum Francorum, convictus quod regem Franciæ nepotem suum, filium scilicet Philippi le Beals fratris sui, invitatum ad venandum et epulandum secum volebat jugulare, traditur supplicio citra condignum. Post nempe venationem, quidam regis clavarii intrantes locum convivii celebrandi, comperta machinatione proditionis, et quod viri armati, quibus erat palatium in nemore consistens repletum, pressos de secreta regis familia trucidarunt, et chordas sericas pro nobilibus suspendendis trabibus illigarunt, non sine difficultate et conflictu evasi, nuntiarunt regi periculum in caput suum excogitatum, unde in alias partes tutiores rege se committente, capitur ille Carolus de Valesio, et quamvis reus regiæ majestatis, tamen propter reverentiam sanguinis regalis non fuit suspensus, nec decapitatus, sed sine femoralibus nudo marmoris aquis frigidis resperso insedit, ubi fri-

gore finivit inveterationem dierum malorum. Hic Carolus erat germanus Philippi le Beals regis Franciæ. Philippus genuit tres filios, scilicet Ludovicum regem Navarre, Philippum comitem Pictaviæ, et Carolum comitem quondam Marchiæ juxta Gasconiam, sed impræsentiarum regem Franciæ, et insuper unam filiam, scilicet Isabellam de qua dictum est, reginam Angliæ, cujus filius erat ille gloriosus rex magnificusque triumphator Edwardus tertius rex Angliæ. Carolus vero de Valesio præfatus, genuit Philippum de Valesio, patrem Joannis, de quibus infra dicetur. Post mortem Philippi de Beals regis Franciæ, suus filius Ludovicus adeptus paternum diadema, consilio patris sui Caroli instinctus, primo anno regni sui tradidit suspensio Ingeramnum de Mareny, qui fuit principalis consiliarius patris sui Philippi. Regina quoque uxor sua, filia comitis Burgundiæ, propter adulterium, scilicet impositum cum Philippo Daune milite, fuit suffocata. Demum de filia regis Hungariæ sibi maritata, Clementia nomine, genuit filium, qui septem diebus præcise vixit, cui postmodum per mortem patre suo migrante successit in regnum fratrum Philippus, cui sine hærede corporaliter progenito patri et fratri mortis itinere obeunti, successit tertius illorum trium fratrum, scilicet Carolus, quem quum vidit patruus ejus, vir miræ calliditatis, Carolus prædictus de Valesio, diu cum regina quondam comitissa non im-

pregnata de prolis foecunditate desperatum, spem nactus nec frustra, quod sibi aut suis hæredibus regni corona laberetur, nitebatur speratam fortunam accelerare per abbreviationem vitæ nepotis sui Caroli, tunc regis, festinandam, ipsum quoque in tantam vesaniam stimulavit timor, ne rex Angliæ, quem scivit fuisse de jure pro conditione matris suæ, Caroli avunculi sui, regis Francorum proximum hæredem, ipso et suis hæredibus juste repudiatis, loco suorum avi et trium avunculorum in Francia regnaret, qui tunc in Anglia, Hibernia, Gasconia, et aliis partibus hesperiis prospere regnavit. Cogitavit insuper vetulus iste proditiosus, quod si rex Carolus nepos ejus diu viveret, quantumcunque sine progenito hærede, nepos ejus rex Angliæ, cujus majestatem continue crescentem odiebat, ipsum de Valesio jam senescentem, suos quoque hæredes, aut propria magnificentia, aut adoptione justa magnatum Franciæ, vel spe regnandi frustraretur, vel regno juste privaret. Hanc opinionem, ut infra per Dei gratiam patebit, excogitatus effectus consequebatur. Hoc quoque anno moriebatur Robertus le Bruys, relicto filio suo David, quem septem vel octo annos habentem Scoti receperunt in regem tali jure. Alexander Scotorum rex habuit tres filias sine masculo, quarum primam maritavit Joanni de Baliol, alteram Joanni de Comyn, et tertiam Roberto de Bruyus prædicto, natione



Anglico nato in Essexia. Post obitum regis Alexandri, de beneplacito Edwardi regis Angliæ, Scoti erexerunt sibi in regem maritum senioris filiæ regis Alexandri, scilicet Joannem de Baliol, qui pro regno Scotiæ regi Angliæ fecit homagium, et juravit fidelitatem. Postea ad instigationem perturbatorum pacis regni Scotiæ, per suas literas regias et nuntios solennes remisit Anglorum regi fidelitatem et homagium, qui fuerat ei obligatus, vel aliud aut aliam subjectionem promittens, quam ab eodem Edwardo rege volebat exigere. Nihilominus tamen propter hæc regnum Scotorum detinuit, sed non diu, namque rex Angliæ prædictus de Wintonia, ipsum regem Joannem regem Scotorum, et suum filium Edwardum de regno Scotorum fugavit, brachio extento; quibus in Franciam peregrinantibus, sed castris et munitionibus Scotiæ per regem Angliæ occupatis, Scoti nil aliud quam inconsultam temeritatem consulentes, tenuerunt pro rege maritum secundæ filiæ regis Alexandri, scilicet Robertum le Bruyus prædictum, virum, per omnia militare, nisi quod victus ambitione regnandi, neglecta fide, sine qua nullus approbatur miles, contra suum dominum naturalem præsumpsit rebellionem. Igitur isto Roberto, ut scriptum est, mortuo, Scoti suum filium, regni proximum hæredem et regem habuerunt, quorum consilium Edwardus le Baliol, filius regis Joannis et filiæ senioris Alexandri regis,

de Francia rediens, ad pacem Anglicorum Dei auxilio et regis Angliæ Edwardi tertii, cujus inclita gesta describere intendimus, dissipavit, ut infra plenius dicetur.

Anno Domini 1327 dicti Joannis 12, et Edwardi regis tertii anno primo, Carolus rex Franciæ, avunculus regis Angliæ et germanus Isabellæ, matris regis, tertius quoque illorum trium fratrum qui post obitum illorum patris Philippi le Beals regis, in Francia successive regnarunt, viam universæ carnis est ingressus. Illi successit in regno Philippus de Valesio, filius patru sui Caroli traditoris supra descripti. Hoc anno in quindena Paschæ celebrato regis nomine sed non ingenio parlamento Northamptoniæ, facta est turpis pax inter Anglicos et Scotos, convento inter illos, quod David filius Roberti le Bruyus adoptatus ut prædiximus in regem Scotorum, dominam Joannam sororem regis Angliæ duceret in uxorem, et pacifice cum illa regnaret suo jure super Scotos, quod et postea effectus sequebatur. Eodem quoque anno rex Angliæ juvenis, non regens nec bene rectus, sed per proditores ductus, fecit Scotis chartam cujus tenoris et continentiæ series communiter ignoratur, et prior charta per quam communitas Scotorum, una cum rege Joanne de Baliol, pro ipsis et eorum successoribus in perpetuum seipsos regi Angliæ submiserunt, et in hujus testimonium, regis Scotiæ sigillum, una cum

sigillis procerum et prælatorum illius regni fuerat eidem chartæ appensum, in conspectu conciliorum utriusque regni, super longam hastam apportata atque lecta, fuit omnino revocata, et coram omnibus combusta apud Berewicum, ubi desponsata sorore regis Angliæ, fuit coronatus, et oblatus altari ipsum maculavit ex dysenteriis quas parvulus patiebatur, unde quidam Scotorum, Jacobus Douglas, dixit suis amicis, "Timeo" inquit "ne iste totum regnum Scotiæ sit foedaturus." Vocabatur ab illo casu a blasphemantibus "David Dryt hantes." Omnium regum Scotiæ iste primus fuit oleo sancto perunctus in suâ coronatione. Petierunt Scoti in parlamento Eboraci, quod lapis iste grandis, qui juxta magnum altare in Westmonasterio, sub regali cathedra ligaturis ferreis ecclesiæ fundamento incatenatur, super quam solebant reges Scotorum inthronizari, et ideo vocatur regale Scotorum, foret eis liberatus, ut super ipsum antiquo more suum regem possent consecrare. Illis hoc petentibus consilium regis assentivit, unde nuntii solennes pro lapide mittuntur, sed abbas Westmonasterii, nuntiis auditis, scripsit regi et concilio, quod lapis iste quondam per avum regem Edwardum de Scotia, magnis laboribus abductus, et ecclesiæ suæ devote oblatus, non posset nec deberet ab ecclesia illa deportari. Cum tali responsione nuntii ad Scotos sunt sine lapide reversi. Ista sponsa-

lia et omnia Scotis favorabilia fuerunt ex ordinatione et procurantia Isabellæ, matris regis, et episcopi Herefordiensis Adam, et Rogeri de Mortuo mari ex parte Anglicorum, et Jacobi Douglas ex parte Scotorum. Timentes namque prædicti, Isabella, Adam, et Rogerus, ne propter interitum Edwardi patris regis, aliqua persecutio in ipsos juste fulminanda, amicitia Scotorum se faceret egentes, vel ideo ut dicebatur, Scotis favebant, ut si rex Angliæ aliquo infortunio fuisset mortuus, Rogerus de Mortuo mari auxilio Scotorum regnum et matrem regis Isabellam usurparet, et propterea comitem Cantiaë regis patruum et amicum sanguinis proximum fuisse postmodum decapitatum, ut scilicet juvenis rex Edwardus, omni amicorum auxilio, ut quondam pater suus fuisset privatus. Celebratis apud Berewicum coronatione et nuptiis prædictis, Jacobus Douglas adivit frontierium Hispaniæ versus Gervacum, ubi miles strenuus suam probitatem contra Mauros Saracenos laudabiliter ostendebat, et post multas victorias, quas ipso duce Christianis Deus commisit, tandem contra quinque Saracenos solus dimicans quinque letalibus vulneribus ab ipsis est occisus, sed et ipsos occidit, teste fratre Thoma de Lavingtone Carmelita, qui pro tunc secularis, sub suo ducatu in exercitu Christianorum ut potuit, laboravit. Habuit occasionem piam duplicem. Moriens nempe Robertus le Bruys, ipsum honoravit sub tali

forma, "Vovi," inquit, "Deo, quod contra inimicos Christi forem corporaliter militaturus, quod quia vivus non potero te tamquam Scotorum, quos summe diligo, virum probatissimum exoro, ut cor meum contra inimicos nominis Christi deportes ad frontierii Gardiaviam, cui Jacobus, "Juro," inquires, "per invocatum cor Christi Jesu, cor tuum ut rogasti me delaturum, et contra prædamnatos hostes moriturum." Rex Angliæ post prædictam suæ sororis desponsationem cito post festum sanctæ Trinitatis, se transtulit Herefordiam, ubi fuerunt solennes nuptiæ inter filias Rogeri de Mortuo mari et quosdam nobiles, videlicet filium comitis Marescalli et hæredem domini J. de Hastinges. Fuerunt etiam ibidem hastiludia solennia, quibus interfuit mater regis.

Hoc anno mense Novembris, obiit Walterus Cantuariensis archiepiscopus, cui successit per electionem canonicam magister Simon de Mephram, doctor in theologia. Hoc anno moriebatur magister Thomas de Cobham episcopus Wigornia, cui successit per provisionem papæ Adam Torltome, prius episcopus Herefordiensis, ad curiam pro negotiis propriis et matris regis profectus. Item papa providit ecclesiæ Herefordiensi de magistro Thoma de Charlton, tunc in curia præsentem.

Anno Domini 1328 ipsius regis tertii a conquestu anno secundo, post quindenam sancti Michaelis tenuit rex parlamentum Saresberia,

in quo fecit tres comites, scilicet dominum Joannem D'Eltham fratrem suum, comitem Cornubiæ, et R. de Mortuo mari comitem Marchiæ Walliæ, et propincernam Hiberniæ comitem de Ormonde. Ab hoc parlamento comes Lancastriæ et dominus de Wake, et alii quidam nobiles se subtraxerunt, et in eorum comitiva dominus Henricus de Bellemonte et comes Marescallus; prope tamen venerant armati, unde in offensionem regem commoverunt, sed postmodum in æstate, procurante archiepiscopo Cantuariensi, apud Bedeforde gratiæ regi se submiserunt, non multumque postea comes Lancastriæ cæcus effectus ad patienter Deo serviendum se totum ordinavit. Eodem anno circa festum ascensionis rex mare transivit, fratre suo comite Cornubiæ custode regni relicto, et fecit homagium regi Franciæ, Philippo de Valesio, filio Caroli proditoris, pro toto ducatu Aquitaniæ et comitatu Pontiniæ, super quibusdam protestationibus quibus homagium rex Franciæ Philippus recepit sub aliis protestationibus, videlicet quod non amisit homagium pro terris quas pater suus Carolus prædictus adversus comitem Cantuæ, ut præmittitur, transequitavit, sed illas sibi detinuit et detinere voluit, quousque foret sibi satisfactum de damnis et expensis quas pater suus ibidem militando recepit et exposuit. Eodem anno in die Parasceves et in commemoratione omnium fidelium animarum ordina-

tum est ut ab omni opere servili cessaretur, et in festo gloriosæ conceptionis virginis matris Dei, laudes celebriter exsolverentur Deo. Item ipse et omnes episcopi præsentés excommunicarunt et excommunicatos denuntiarunt omnes illos qui domino Waltero de Stapeltone episcopo Exoniensi quondam horribiliter interfecto, manus violentas quomodolibet iniecerunt, et omnes qui eis opus, assensum, vel consilium præbuerunt.

[*Hoc loco codex Bodleianus in folio 110 usque ad f. 111 b eadem habet repetita quæ antea ad pag. 96 inveniuntur Postquam gloriosus rex usque ad præbuerunt pag. 107.*]

Anno 1329 quidam experturi quos haberet amicos Edwardus secundus, rex Angliæ nuper extinctus, confinxerunt ipsum in castro de Corf laute vivere, sed nusquam de die velle videri. Propterea fecerunt multis noctibus tripudia super muros castri et turres, præferentes equos et tortices accensos, ut ab idiotis de patria forent percepti, quod aliquem magnum regem haberent custoditum, cui solennizarent. Nova per totam Angliam sunt expansa, quod regis pater viveret, unde comes Cantia misit illuc quemdam fratrem ordinis Prædicatorum, exploraturum rei veritatem, qui putans se muneribus corrupisse castri janitores, decipitur. Introducitur nempe latiturus de die in camera janitoris, visurus de nocte quem videre cupiebat. Nocte in-

trouducitur in aulam, iussus induere habitum secularem, ne perciperetur, videbaturque sibi ipsum videre Edwardum patrem regis, cœnæ splendidæ assidentem, cui ut credidit, ita retulit comiti Cantiaë se vidisse, unde comes in præsentia quorundam, quibus non debuit fidem adhibuisse, iuravit se laboraturum ad hoc, quod frater suus foret de reclusionem ubi detinebatur liberatus. Eodem anno, scilicet regni regis tertio, ad instantiam reginæ rex tenuit parliamentum Wintoniæ, ubi procurantibus matre sua et Rogero de Mortuo mari, prædictus comes Cantiaë patruus regis, et multi alii nobiles et religiosi viri, scilicet provinciales ordinum Prædicatorum et Carmelitarum beatæ Mariæ, frater Ricardus de Blitone, fuerunt accusati de eo quod conspiraverunt, ut dicebatur, regis patrem de carcere liberare et ad regni statum reducere, licet totum hoc fuisset falsum et phantasticum. Tantum comes prædictus, propter quasdam confessiones suas et quasdam literas secum inventas, licet nullæ illarum confessionum seu literarum etsi veræ fuissent, debuissent tantum virum tali supplicio dignum reddidisse, fuit decapitatus. Alii ut provinciales Prædicatorum et Carmelitarum beatæ Mariæ fuerunt exulati; episcopus vero Londoniæ fuit manumissioni dimissus; Robertus de Tauntone clericus, et fratres quidam de ordinibus Carmelitarum et Prædicatorum carceri fuerunt mancipati. Mors prædicti comitis



eo minus populo regni displicuit, quod malam habuit familiam, res popularium per patriam itinerando pretio regali capessentem, parum vel nihil pro emptis solventes.

Hoc anno circa mediam quadragesimam, vacavit ecclesia Saresberiae per mortem magistri Rogeri de Mortivaus, cui ecclesiae papa providit de domino Roberto de Wyvile notario regiae matris. Hoc anno mortuo domino Joanne episcopo Bathoniensi, successit per canonicam electionem magister Radulphus de Salopia, per doctorum, decretorum, et theologiae, per Simonem archiepiscopum Cantuariensem consecratus. Item isto anno papa fecit graves processus iterato contra ducem Bavariae, imperium Romanorum tyrannice usurpantem. Isto anno 1329, Edwardus regis primogenitus et Walliae princeps, die Junii 15 apud Wodestoke nascebatur de Philippa regina, in festo Sanctorum Viti et Modesti.

Anno Domini 1330 ipsius regis Edwardi tertii anno quarto, die Veneris proximo post festum sancti Lucæ, fuit parliamentum apud Nottingham, ubi nimio fulsit honore marcessibili comes Marchiae, Rogerus de Mortuo mari, tamquam reginae Isabellae, ad cujus nutum omnia disponebantur, conciliarius principalis. Illum non alio nomine quam titulo comitis Marchiae, ausus est aliquis nominare; illum major strepitus virorum comitabatur quam personam regis, ille quos amavit honoravit, regem permittens

sibi assurgere: gradiens cum rege pari passu solebat arroganter ambulare, nunquam regem præferre, sed ipsum aliquando anteire, quibusdam officiariis deputatis regi pro hospitibus nobilium assignandis. Hospitium in villa pro comite Lancastriæ regis consanguineo capesentem vehementer increpuit iste comes Marchiæ, quærens quis eum fecerat audacem inimicum reginæ Isabellæ, tam prope illam hospitare, unde territus constabularius hospitium comiti Lancastriæ ultra villam ad unam leucam distans assignavit, et comitem Herefordiæ Joannem de Bohun, Essexiæque, constabularium Angliæ hospicio collocavit. Sic murmur inter magnates quod ad aures populares avolvit, secreto dicentium, quod ille de Mortuo mari amasius reginæ, et regis magister ad regalis sanguinis demolitionem, et reginæ majestatis usurpationem anhelaret. Terruit iste murmur aures regales et regis amicos, scilicet Willelmum de Monte acuto, [Edwardum de Bohun] et cæteros, qui in salutem regis conjurati, arbitrati sunt et juste, obsequium salutis se præstituros regno, si iste de Mortuo mari morti committeretur. Consulunt sibi adjuratum Robertum de Heland, qui speculator extitit in castro per multos annos, et cui omnia diverticula castri secretissima nota fuerunt, quomodo de nocte ad cameram reginæ de territorio extra castrum, sine scitu janitorum, rex et sui amici aditum haberent. Speculator prædictus torti-

cibus accensis, duxit dominum suum regem per quoddam iter secretum subterraneum, quod incipit a remotis extra castrum et terminatur ad medium coquinæ, vel aulæ turris principalis, ubi fuit hospitata regina. De medio igitur fundo et tramite subterraneo prosilientes regis amici, ad cameram reginæ, quam per Dei gratiam invenerunt apertam, armati strictis ensibus proficiscebantur, rege etiam armato extrà ostium cameræ, ne a matre sua videretur, expectante. Ingressi, occiderunt Hugonem de Turpintoñe militem, resistentiam eis inferre conantem, domino Joanne de Neville de Horneby ictum dirigente. Deinde invenerunt reginam matrem paratam ad lecti soporem, et comitem Marchiæ quem volebant, et captum secum abducebant in aulam, clamante regina “Beal fitz, beal fitz, eiez pitie de gentil Mortimer.” Suspectam enim habuit filii præsentiam, quam oculo non percepit. Mittuntur celeriter pro clavibus castri, omnem firmaturam loci in manus regias capientes, sed ita secrete, quod hoc nulli patuit extra castrum, nisi regis amicis. In aurora crastina cum hutesio et horribili clamore ipso comite Lancastriæ jam cæco hutesiante, adducunt Rogerum de Mortuo mari et quosdam alios amicos ejus secum captos per Lwhtobergh et Leicestriam usque Londoniam, ubi in turre ut quondam antiquitus carceri mancipatus, et apud Westminsterium assidente regni parlamento, in

vigilia sancti Andreae sequenti tractus et suspensus, guerras intestinas per totam vitam suam crebro suscitatas super communi furca latronum apud Elmes, sua morte finivit. Per suos pares fuit morti condigne adjudicatus, non tamen venit coram eis, nec responsioni ratiocinatus, quoniam a morte comitis Lancastriæ, Wintoniæ, et Gloucestriæ et Cantiae, non solebant nobiles ratiocinio deputari, sed sine responsione atque legitima communicatione perierunt, unde comes iste jure quod in alterum statuitur, usus extitit, et juxta eandem mensuram quam aliis mensus fuerat, erat eidem remensum. Causæ vero mortis prædicti comitis Marchiæ, secundum quod sibi imponebantur, erant istæ: prima, quia fuit consentiens suffocationi patris regis, secunda, quia ipse recepta magna summa pecuniæ impedivit honorem regis apud Stanoppark, ubi signum dedit Scotis ut fugerent, perpenso, quod exercitus Anglicorum fuisset verisimiliter prævaliturus, nisi ipse qui quasi dux erat regis puerilis et exercitus, tam gloriosis initiis regalibus invidisset: tertio, quoniam matrimonium contractum inter sororem regis et filium Roberti le Brujus, cujus jam pœnituit amicos regios, ipse fieri procuravit, et insuper submissionem Scotorum regi Angliæ antiquitus obligatam, per combustionem chartarum et indulgentiam summæ libertatis consuluit, immo quod jussit dissipari serie præscripta: quarto

quod pecunias repertas in thesauris regis et comitum Wintoniæ atque Gloucestriciæ, superfluis expensis ipsius et reginæ matris inutiliter consumpsit, nunquam compassus regis egestati, quam in sui regni primordio patiebatur: quinto quod custodias et maritagia in regis damnum non parvum sibi appropriavit: sexto quod fuit regis ex intentione malus consiliarius, suam malitiam tunc potissime ostendens, quando ut sibi amicitiam regis Franciæ [conciliaret], per exhibitionem homagii et fidelitatis, regis puerilem tractabilitatem recognoscere instruxit, cujus etiam facti omnes amici regis, ut decuit, pœnituerunt. Alias causas suæ mortis vulgo non permittitur aperiri, quas conscientiæ secreto et examini iudicis æterni dimittamus. Moriebantur cum illo sui amici Simon de Bereforde miles, et Joannes Deverel scutiferarius, qui in remissionem suorum peccatorum libenter fecissent publicam confessionem de morte crudelissimo et modo moriendi patris regis, si non per æmulos justitiæ et veritatis fuisset sibi tempus denegatum.

Hoc anno dominus rex cum episcopo Wintoniæ et domino Willelmo de Monte acuto, et aliis admodum paucis transfretavit, sicut mercator cum nauticis absque harnessiis, vix secum habens 15 equites, prætendens se peregre profecturum, domino Joanne D'Eltham germano suo custode regni relicto, et ante finem mensis

Aprilis rediit, et fuit apud Derteforde solenne torneamentum, et parum ante festum sancti Michaelis Londoniæ in Chepe pulcherrima hastiludia fuerunt, ubi domina regina Philippa cum magna dominarum comitiva, de tentoriis, unde militares actus specularentur, noviter ædificatis, ceciderunt, sed illæsæ. Carpentarios proinde puniri non permisit illa piissima regina, sed ab iracundia regem et amicos regis precibus et genuflexionibus ita revocavit, quod in sui amorem omnes ejus pietatem considerantes regina misericors concitavit. Hoc anno dominus papa Joannes XXII, anno sui 15mo, concessit regi decimas proventuum ecclesiæ Anglicanæ pro quadriennio, medietate sibi retenta. Hoc anno scilicet 1330, regis vero 4, die 15 mensis Junii, natus est apud Wodestoke primogenitus dominus Edwardus de Wodestoke, cujus laudes et magnificos triumphos, quos in captura regis Francorum habuit, et alios, suis locis describere divina clementia nos permittat.

Anno Domini 1331, dicti Joannis papæ 16, Edwardi tertii anno quinto, tenuit rex solenniter Natale apud Welliam, usque ad Epiphaniam, ubi fiebant multa mirabilia sumptuosa, et circa festum sancti Laurentii proximum sequens, venit in Angliam dominus Edwardus de Baliol, filius et hæres Joannis regis Scotorum, quondam, ut dictum est, exulati, declarans jus quod habuit in regnum Scotiæ, cui adhæserunt

dominus Henricus de Bellomonte, et David comes Dassels, et Ricardus Talebot, et dominus Radulphus de Stafforde baro, et Fulco filius Willelmi, et multi alii nobiles, asserentes se jus habere ad terras et possessiones in dicto regno Scotiæ, jure hæreditario, vel dotum uxorum suarum sibi debitas, sed per magnates Scotiæ detentas injuste, unde postularunt licentiam et auxilium a rege Angliæ regnum et prædia sibi debita recuperandi. Verum rex Angliæ contemplatione pacis inter regna nuper factæ, atque sororis suæ reginæ Scotiæ, non permisit ipsos per terram suam aggredi Scotiam cum manu armatorum. Propterea domini prædicti nacti navigium, mare Anglicum ingressi, Scotiam velificando petierunt, et apud Clinkhorn juxta abbatiam de Donfermelin, litora capessentes, magnam resistantiam et inopinatam habuerunt, sed pedites Anglici pauci numero celerius terram applicantes, omnes Scotos obvios compulerunt in fugam, cum illorum ducibus comite de Fife, et Roberto le Brus, filio Roberti quondam regis, et antequam exercitus armatorum ad littus poterat incedere ordinate, multis Scotis interfectis, vexilla Edwardi Baliol et aliorum dominorum pacifice sunt affixa. Postea vero die sancti Laurentii apud Glastimore habuerunt gravem conflictum, ubi duo millia Anglicorum vicerunt 40 millia Scotorum, præ multitudine et pressura etiam se ipsos opprimentium, de quibus

quinque comites, et alii multi interfecti et oppressi fuerunt. In crastino Anglici villam sancti Joannis, victualibus refertam, et bene munitam ceperunt, et hoc non humana sed divina virtute; ipsi Anglici tunc præsentes factum retulerunt.

Hoc anno archiepiscopus Cantuariensis visitans diocesin Bathoniensem, tenuit Natale apud Wiveliscombe, rege apud Welliam ut dictum est commanente. Mandavit archiepiscopus se velle visitationem suam in ecclesia Exoniensi inchoare, die lunæ proximo post festum Ascensionis Domini, quod ne fieret, episcopus Exoniensis appellavit, sed hoc non obstante, dicto die lunæ accessit archiepiscopus ad civitatem Exoniæ, non permissus ecclesiam clausam intrare præ multitudine armatorum resistente.

[*Prima obsidio Berewici, tempore Edwardi tertii.*] Anno Domini 1332, regis anno 6, continuata guerra Scotica, anno proximo inchoata, multi nobiles Anglici, et viri bellicosi ad stipendia domini Edwardi Baliol et suorum complicitium invitati, circa festum Nativitatis sancti Joannis Baptistæ Scotiam profecti, et præter eos multi laudis avidi sumpibus propriis et eis associati, villam et castrum de Berewyke obsiderunt. Rex autem Angliæ considerans multa vituperia sibi et suis antecessoribus per Scotos illata, justam quoque causam domini Edwardi de Baliol regis Scoto-



rum, per conquestum, et quod concordia fuit inter ipsum et Scotos inita per proditorem, ipso in minori ætate constituto, et in custodia matris suæ existente, quæ consilio Rogeri de Mortuo mari proditoris sui, per omnia regebatur; factus autem vir, evacuans cum apostolo quæ parvuli erant, contra voluntatem matris suæ, collecta multitudine armatorum, non defensionem aut exactionem sui juris, sed promotionem et sustentationem juris sui amici Edwardi regis Scotorum prætendens, Berewicum viriliter est aggressus, modicum ante festum sanctæ Margaretæ, ubi obsessi multos cum rege Angliæ et Scotiæ conquestore dolosos tractatus habuerunt, ut ipsos compescerent ab insultu, et auxilium ab extra promissum expectarent; quod venit, sed incassum. [*Bellum de Halydone hill.* Anno 1333, regis 7.] Siquidem in festo sanctæ virginis Margaretæ, de tota Scotia congregata maxima multitudo obsidionem si potuisset remoturæ, in tres exercitus divisa, regis exercitum ad præliandum provocavit, conventionem factam inter partes adversas, quod si Scoti potuissent obsessi illo die ab extra recipere victualia, in sua rebellionem permanerent, si vero victualibus adventitiis non consolarentur, post diem transactum regi Angliæ villa et castrum redderentur. Ordinantur proinde quadringenti armati cum parvis panibus eis banilatis, qui Anglorum exercitum a latere circumferrent, et panes quos habebant projicerent infra muros, ut saltem sophisticè villa

victualibus referta crederetur, sed ordinati ad taliter villam restaurandum, per continuos obsessores et illos de posteriori custodia exercitus fuerunt trucidati, et a panibus eorum spoliati; divisus est ab Anglicis suus exercitus, parte obsidioni continuandæ deputata, alia iterum in turmas divisa, ad obviandum Scotis supervenientibus præparata. Ibi didicit a Scotis Anglorum generositas dextrarios reservare venationi fugientium, et contra antiquum morem suorum patrum, pedes pugnare. In principio certaminis exercituum super Halidone Heol, obviavit quidam satelles magnæ staturæ, et ut alter Goliath, in magna virtute corporali majorem quam in Deo habens confidentiam, medius inter exercitus consistens, singulos Anglicos ad monomachiam provocavit, qui ab effectu "tauri versor," Anglice "turne bole" vocabatur. E contra dominus Robertus de Venale, miles quidam Northfolchiensis, petita genuflectendo regis benedictione, cum gladio et pelte gigantes aggressus, cujusdam nigri molossi, qui adversarium comitabatur, et ipsum rapidissime cum gladio præcidit lumbos a dorso dividendo. Acrius proinde sed vecordius institit occisi canis magister, cujus pugnum sinistrum et postea caput amputavit miles. Continuo congregiuntur partes adversæ, rege Anglorum suos sapienter atque decenti hilaritate confortante, sed vix per mediam horam diei naturalis atrocitate utrobique resistentium, Scotis

aliquali numero peremptis, et jam illorum tribus aciebus in unum exercitum conglobatis, tandem necessarium fugæ præsidium arripientes, rex et sui, dextrariis conscensis, celeriter persequuti, occidendo, capiendo, in puteos et lacus ipsos fugando per quinque milliaria ventilarunt. Numerus æstimatus Scotorum excedebat sexaginta millia virorum. Post istud bellum opinio falsa fuit publicata quod guerra Scotica fuerat finaliter tractata, eo quod vix aliquis de illa natione remansit, qui posset, sciret et vellet præliaturos congregare, et regere congregatos. Prælati totius regni Scotiæ in Franciam fugerunt, et eorum valentiores, ad summum pontificem de illorum infortunio adiutorium et remedium flebiliter requirentes. Post belli triumphum rex ad obsidionem Berewici reversus, tam castrum quam villam, per comitem Patricium custodem eorundem reddita, suscepit, et idem comes Patricius in proximo sequente parlamento Eboracensi fidelitatem et homagium juravit regi, et ab eodem multos recepit honores, sed iterum infideliter ad suam reversus rebellionem, secundam apud Dunbar passus est obsidionem, per dominum W. de Monte acuto, comitem Sarisbiriæ. Facta igitur voluntate regis de his qui fuerunt in villa et castro, relictaque custodia suis fidelibus villis et castris, quæ suo dominio jure hæreditario et conquestu suorum antecessorum dixit pertinere, dimisit rex Edwardum de Baliol et cæteros volentes

secum manere ad custodiam totius regni Scotorum, sed et ipse in Angliam reversus, ad loca devota peregrinus, Deo laudes debitas devotus exsolvit. Eodem anno circa festum sancti Calixti papæ, vacavit ecclesia Cantuariæ magistri Simonis Mepham, cui ad petitionem regis, papa providit de magistro Joanne de Stretforde episcopo Wintoniæ.

ANNO Domini 1333, regis vero septimo, dominus Edwardus de Baliol rex Scotiæ, tenuit parliamentum in Galewey, cito post festum sancti Michaelis, ad quod venerunt nobiles regni Angliæ, terras et possessiones in Scotia vendicantes, et ab inde pacifice in suum natale solum revertebantur. Eodem anno rex celebravit festum Nativitatis Christi apud Wallingforde, cum regina prægnante, quæ postmodum apud Wodestoke peperit filiam suam Isabellam. Rex vero profectus Eboracum, tenuit parliamentum, die lunæ in secunda hebdomada Quadragesimæ inchoatum, ad quod rex Scotiæ conquestor, licet invitatus non accessit, sed misit pro ipso excusatores solennes, scilicet Henricum de Bello monte et Willelmum de Monte acuto comites, et quosdam alios barones et milites, qui nuntiarunt regi Edwardum prædictum Scotiæ conquestorem, non sine grandi periculo atque resistentia contra Scotos in insulis latitantes, ad ejus præsentiam posse accedere. Attamen ad sequens festum sancti Joannis, rex prædicti conquestoris recepit ho-

magium apud Novumcastrum super Tyne, et cito post recepit homagium ducis Britanniae pro comitatu Richemundiae, et postmodum vocavit praelatos et magnates, quod infra 6 dies post Translationem sancti Thomae venirent ad eum apud Nottingham, ubi praefixit parlamentum Londoniae celebrandum, ad quod iterum convocati provinciae praelati, die lunae post festum Exaltationis sanctae Crucis, concesserunt regi unam decimam; populus quintamdecimam praediorum, et decimam mercaturae per totum regnum, ad frænandam Scotorum malitiam concessit. Nuntiatum quippe fuit ibidem, quod Scoti insurrexerunt et ceperunt R. de Talebot, et 6 alios milites, multos quoque pedites occiderunt. In eodem parlamento dominus rex consensit quibusdam devotis et promisit se iturum in Terram Sanctam propriis sumptibus, sed ad hoc tempus certum non expressit. Ordinavit tamen archiepiscopum Cantuariensem ad papam et regem Franciae profecturum, ut possent praedicti reges, qui nondum fuerant in guerram commoti, unanimi assensu tam sanctam peregrinationem simul arripere. Eodem anno primo die Decembris, transtulit papa magistrum Adam de Horletone, ante episcopum Herefordiensem et postea Wigornensem, ad ecclesiam Wintoniae, unde quidam sic metricavit:

Thomas neglexit Wulstanum, non bene rexit  
Swithunum voluit non quia plus valuit,

id est, ditior ecclesia fuit. Hanc translationem Philippus de Valesio pseudo-rex Franciæ procuravit, et pro illa suas preces summo pontifici multiplicavit, sed illam dominus rex Angliæ diu distulit acceptare, imponens episcopo jam alia vice translato, quod pro tempore suæ legationis ad regem Francorum, erat enim iste nuntius regis, ei plus placuit quam fidelis nuntius potuit in illo casu, et ob hoc negotia domini sui regis Anglorum inutiliter et false procuravit, et illud fuisse causam gratiæ inventæ in conspectu prædicti pseudo-regis, qui alias nunquam curasset de promotione unius Anglici, qui nunquam Anglicos dilexit, neque pater suus, ut supra patuit, et infra patebit. Allegavit iterum contra translatum, quod promotus regis Francorum faciliter converteretur in sui prodicionem pro suo promotore, qui coronam Franciæ jure hereditivo sibi debitam, et possessionem patrum in Gasconia contra justitiam Dei et hominum falso detinuit et violenter, nec ratione curiæ Romanæ poterit translatus regi placere, quia, sicut fuit allegatum, dominus rex Angliæ scripsit domino papæ pro uno alio clerico suo ad illum episcopatum promovendo, impatienter ferens regis Francorum petitiones attentius quam suas de ipsis in suo regno creandis exaudiri. His de causis dominus rex præcepit confiscari temporalia episcopatus Wintoniæ, quæ tamen die Veneris post Exaltationem sanctæ Crucis proximo sequente,

ad preces episcoporum in parlamento Londoniæ gratiose refudit. Hoc anno per provisionem papæ dominus Ricardus de Bury, cito post festum Nativitatis, in monasterio de Cherteseye, per dominum Wintoniæ in episcopum Dunelmensem fuit consecratus.

ANNO Domini 1334, regis octavo, cito post festum sancti Dionysii, Joannes archiepiscopus Cantuariensis transfretavit versus Philip-pum de Valesio vocatum regem Franciæ, quem libet de cætero vocare tyrannum, quia inimicum justitiæ communis, et prædicti sancti regni intrusorem. Ad prædictum tyrannum accedens episcopus prædictus, vir magnæ sapientiæ et doctor egregius utriusque juris, petiit continuationem amicitiae inter regna fore prosperandam, per mutuam dilectionem inter ipsum vocatum regem Francorum et dominum suum regem Angliæ. Secundo petiit a tyranno, quod civitates et castra per patrem tyranni Carolum proditorem in Aquitania capta, ab ipso detenta, domino suo regi forent restituta. Tertio, quod prædictus tyrannus dimitteret suam manum auxiliatricem a Scotis sibi impertinentibus, et contra illos juvaret auxilio vel consilio seu favore suum cognatum, regem Angliæ: annectens finaliter dominum suum regem sæpeditum sub his conditionibus libenter paratum propriis sumptibus ad Terram Sanctam proficisci contra inimicos crucis Christi, cum illo vocato rege Francorum. Ad hæc tyrannus ad-

judicavit regem Angliæ indignum sua amicitia, quamdiu contra suos amicos Scotos, viros justos, et omni rationi, ut asseruit, obedire paratos, guerram injustam exercebat, nec animum ad aliquem posse benevolum se habere, qui illos, scilicet Scotos, tam inhumaniter guerrando vexaret. Ad secundam petitionem noluit aliter consentire quam quod expensæ et damna forent restituta, quæ pater suus Carolus de Valesio recepit, et exposuit in Gasconia militando. Ad tertiam respondit se fuisse juris amicum et justitiæ communis, nec unquam per affinitatem aut amicitiam carnalem a justitia, quam dilexit, declinaturum, sed se velle viis et modis quibus sciret aut posset, super omnes perturbatores pacis regni Scotorum, suæ persecutionis jugum aggravare, "Non enim," inquit in fine sermonis, "pax erit perfecta Christianis, antequam rex Franciæ in medio Angliæ consistens pro tribunali, super regna Franciæ, Angliæ et Scotiæ sit judex et imperator." Isti prophetiæ, quam prophetavit, quum esset rex anni illius, non adjecit loqui, sed indignanter se subtraxit, nuntiis ad alia profecturis.

Eodem anno rex se transtulit versus Marchiam Scotiæ, et in illis finibus hiemavit, sed audito quod comes Dasceles fuit proditiose ad Scotos conversus, et quod dominus Henricus de Bellomonte fuit a Scotis obsessus, Scotiam intravit, et obsidionem fecit amoveri, et tenuit



natale apud Rokesborough. Cito post Epiphaniam tyrannus Francorum misit regi Angliæ suos nuntios, scilicet episcopum Abrincensem, et quemdam baronem pro pace Scottorum, qui usque ad diem lunæ mediæ Quadragesimæ in Anglia expectarunt; et tunc apud Nottingham concessæ fuerunt treugæ usque ad festum sancti Joannis proximum tunc futurum, ut interim fieret parliamentum super causis tangentibus pacem et statum regnorum, in quo parlamento apud Eboracum celebrato, extitit ordinatum, quod rex cum exercitu Scotiam ultra mare Scoticum transequitaret, quod cito postea fuit factum, sed Scoti campestre bellum nolentes expectare, finxerunt se velle pacem habere, ad quam circa festum sancti Michaelis multi venerunt, sed præcipue comes Dasceles, aliis pacem spernentibus. Unde postea comes de Morref apud Edeneburgh fuit captus et in Anglia carceri mancipatus, et dominus Ricardus Talbot pro duobus millibus et quingentis marcarum redemptus. Comes vero Dasceles, volens ostendere quod ipse veraciter fuerat conversus, equitavit contra Scotos ad obsidionem unius castri, et cum paucis equitans incidit in hostes quamplures, quibus nolens se reddere sed resistere, cum 13 tyronibus est occisus, post festum sancti Michaelis. Rex autem semper in illa Marchia Scotiæ morabatur, a qua nuntii regis Franciæ nullatenus recesserunt, sed et ali-

quam pacem vel longam treugam, nedum inutilem sed nocivam Anglicis, expectarunt. Hoc anno circa festum sancti Martini, dominus Edwardus le Bohun, nobilis indolis, fuit in Marchia Scotiæ submersus, domicellum nempe suum volentem prædam pecudum trans flumen fugare percepit periclitantem, in cujus adjutorium dextrarium suum in alveum direxit, ubi propter limpiditatem lapidum grossorum et sphæricorum, super quos aqua decurrebat, dextrarius impotens stabilire pedem, cecidit cum domino suo armato, antequam aliis poterat juvare, submerso in profundis. Isto etiam anno, quarta die Decembris, obiit Joannes papa XXII<sup>us</sup> in suo palatio Avinionæ, et 20<sup>mo</sup> die ejusdem mensis fuit electus Benedictus papa XII, et die Dominica post Epiphaniam sequentem coronatus.

ANNO 1335, Benedicti papæ XII primo, et Edwardi regis nono, rege in Marchia contra Scotos continue remanente, mediantibus nuntiis papæ et Francorum, multi tractatus pacis inutiles habebantur, et multæ treugæ ad instantiam Scotorum subdole agentium concessæ fuerunt, sed nihil efficaciter expeditum, quia treugis præcedentibus interfecerunt comitem Dasceteles, sicut supra proximo annali est expressum.

Hoc anno habuit rex decimam a burgensibus, quindecimam ab aliis, et decimam a clero, et circa Pentecosten habuit parliamentum

Northamptonæ, ubi dimisit prælatos et alios tractare, sed ipse cum paucis adequitavit secrete Berewicum, et ibidem assumptis secum paucis armatis, advenit villam sancti Joannis, ubi sui stupebant de suo adventu, præsertim cum tam parva comitiva. Dictam villam munivit fossatis et muris, et misit comites suos cum rege Scotiæ conquestore ad patriam trans-equitandum et scrutandum Scotos resistentes, sed nulli audebant eos expectare, in montibus et paludibus ac nemoribus se occultabant. Post parliamentum prædictum, nuntii tyranni Francorum videntes quod rex Angliæ et suum parliamentum parvipendebant literas sui domini Philippi de Valesio, quibus comminabatur regi Angliæ inimicum se fore futurum, nisi Scotorum paci adquiescerent, reversi sunt in Franciam, referentes quas treugas et paces ad sui instantiam rex Angliæ cum Scotis in sui dispendium plures contraxit, sed et quomodo suas literas comminatorias parvipendens, contra Scotos, amicos ipsius tyranni, guerram resumere intendebat. Congratulabatur tyrannus nunciatis, non reminiscens treugarum, quas pro sui gratia rex Angliæ cum Scotis sibi dispendiosas confirmavit, sed ruminans quod suas literas comminatorias parvipendebat, gavisus est occasionem se invenisse liberam, qua contra suum consanguineum et regni Franciæ, cui incubuit, verum heredem, vexillum posset explicare. Inflatu igitur ty-

rannus spiritu furoris et superbiam, concitavit Gallos contra Anglicos, unde guerra terribilis fuit suscitata, quam ipse, de praelio navali et campestri pluries fugatus, post occisionem et capturam regum Bohemiam, Scotiam et Franciam, et multam Christi sanguine redemptorum sanguinis effusionem, non potuit terminare.

ANNO Domini 1336, circa Epiphaniam, rex et archiepiscopus de Scotia sunt reversi pro sepultura domini Joannis D'Eltham comitis Cornubiæ, germani regis, qui in mense Octobris apud Berewyke morte communi obiit: apud Westmonasterium ipsum sepelierunt, et convocato Londoniæ parlamento, ad diem lunam post festum sancti Matthiæ apostoli, et Dominica Quadragesimæ, fecit dominum Edwardum filium suum primogenitum, ducem Cornubiæ et dominum Henricum de Lancastria, filium, comitem Derbiæ, dominum Willelmum de Bohun comitem Northamptonæ, dominum Willelmum de Monte acuto comitem Saresberiam, dominum Robertum Defforde comitem Suffolchiæ, dominum Hugonem Dau-dele comitem Gloucestriæ, dominum Willelmum de Clintone comitem Huntingdoniæ, et cum illis 24 milites. In eodem quoque parlamento statutum fuit, quod nulla lana crescens in Anglia regnum exiret, sed quod ex ea Anglici pannificarent, et quod omnes fullones et textores quocumque gradu ad pannificien-

dum competenter instructi, undecumque venientes, in Angliam reciperentur, et gauderent certis privilegiis ; viverent insuper de fisco regali quousque possent commode ex artificio victum adquirere. Istud statutum etsi in principio videbatur fuisse infructuosum, tamen exinde ars pannificandi crevit in regno major in vigintuplo quum ante fuit visa. Statutum fuit insuper in parlamento prædicto, quod nullus in posterum emeret deferendum pannum de factura transmarina, nec quod aliquis uteretur pellura nisi qui haberet in redditibus centum libras.

Anno Domini 1337, regis anno 11, circa festum sancti Michaelis habitis Londoniæ parlamento per dominum regem, et convocatione cleri per archiepiscopum, clerus regi concessit decimam triennem, et itidem sibi concessit communitas burgensium et forensecorum quintamdecimam in subsidium guerræ Scotticæ tunc ferventis, et ad resistendum tyranno Francorum, suam sævitiam minis et factis crudelibus ostendenti : utlagiavit nempe vel occidit, aut incarceravit, catallis eorum confiscatis, omnes Anglicæ nationis in regno Franciæ repertos, comminatus se velle ulcisci Scotos amicos suos. Insuper de ducatu Aquitaniæ et comitatu Pontiniæ non reliquit regi villam aut castrum, quod in suas manus poterat seisisse. Lanæ ergo regni mercatoribus pro certa summa pecuniæ venditas, ut pecunias celerius quo

posset reciperet misit Brabantiam ad numerum triginta millium saccorum cum navigio, cui præfecit ducatum dominus comes Norhamptone, habens in exercitu sagittarios et Wallenses in magna caterva, qui animum comitis ducis Brabantiæ in amicitiam regis Angliæ, contra omnes suos inimicos conversum confirmarunt. Eodem quoque anno scripsit literas exposituras initia inimiciarum inter ipsum et tyrannum Franciæ exortarum, quas Waltero le Magne militi suo fideli Burgundiensi tradidit deferendas comitibus Hanoniæ, Gelriæ, et Juliacensi, qui omnes amicitiam et contra omnes injustos suos adversarios fidelitatem regi per eorum literas patentes compromiserunt. Præfatus Walterus de Magne pro tempore suæ legationis vindicaturus sanguinem duorum Anglicorum, quos quæsituros navibus aquas recentes, indigenæ cujusdam insulæ juxta Flandriam necuere, omnes quos invenit in eadem insula jussit in ore gladii trucidari, quod effectualiter fuit impletum, ipso præeunte. Ibidem etiam cepit germanum comitis Flandriæ, quem rex Angliæ sibi adductum pulcris muneribus, equis et jocalibus honoratum, Flandriam remisit cum libertate. Initiata per modum descriptum Gallica guerra, et deinde rumoribus ad curiam Romanam ventilatis, dominus papa misit duos cardinales pro pace reformanda inter reges, qui apud Westmonasterium exposuerunt coram rege causam sui

adventus. - Proinde concilio regis convocato in crastinum Purificationis Virginis gloriosæ, post procerum consultum rex cardinalibus finaliter respondit, quod quamvis ipsum ultra modum angustiatum affecerunt sibi denegatum jus commune, quo deberet in regnum avitum succedere, et crudelitas quam suus adversarius Philippus de Valesio exercuit in Anglicos, ipsos duntaxat de regno Franciæ tamquam Judæos aut inimicos Christi expellendo, trucidando, spoliando, et incarcerando, et sibi ducatum Aquitaniæ et comitatum Pontiniæ injuste sine causa auferendo, et insuper Scotos suos rebelles favore, consilio et auxilio contra ipsum confovendo, tamen paci ecclesiæ et regnorum libenter condescenderet; obtulit his injuriis condonandis cardinalibus et regi Francorum pro pace et pacifica possessione Aquitaniæ et aliorum feodaliū quæ antecessores sui possederunt et ipse deberet de jure possidere; item pro dimissione manus auxiliatricis regis Franciæ a Scotis suis rebellibus, obtulit inquam pro his suas pecunias per ipsos ratione media taxandas aut maritagium filii sui primogeniti, et præter hæc resignationem juris quod habuit ad coronam regni Franciæ. Cum ista responsione læti recesserunt cardinales, æstimantes guer-ram jam finiri, et in festo proximo Translati-onis sancti Benedicti ingressi mare, secum ha-buerunt Joannem archiepiscopum Cantuarien-sem, et R. . . . . Dunelmensem, et dominum

Galfridum Scrop, responsionem regis Anglorum tyranno Francorum delaturos, et habentes auctoritatem de pace tractare: tot et tam rationabiles oblationes nunquam poterunt animum tyranni demollire, habentis fiduciam per auxilium Scotorum regem de regno Angliæ et qualibet sua possessione potenter exheredare.

ANNO Christi 1338, domini papæ Benedicti, hujus nominis xii, anno quarto, Edwardus rex Angliæ responsionem tyranni Francorum, qui conditiones supra proximo annali scriptas, sibi oblatas atque comitivam sui contra Saracenos sprexit, celeriter cepit, conceptoque per signa manifesta et relationem non deceptatoriam suorum fidelium, quod præfatus tyrannus ad destructionem Angliæ piratis conductis, suam militiam non minus ordinavit, tutius dijudicans rex Angliæ suo adversario in regno Franciæ quod vendicavit, occurrere animose, quam ipsum in Angliam crudeliter affuturum, vecorditer expectare, mare armatorum classe transivit, anno regni sui Angliæ duodecimo, in quodam die Veneris, qui erat 17 calendæ Augusti. Igitur rex cum regina prægnante atque duabus filiabus ejus in classe quingentarum navium applicuerunt apud Andewarp, ubi cum honore et pace recepti, habuerunt obviam marchionem Juliacensem, dominum Martravium, et ducem Brabantiæ, et comites Celriæ et Hanoniæ, et alios magnates



illarum partium, qui omnes sibi fidelitatem et armatam comitivam contra quoscumque suos adversarios compromiserunt sub juratoria cautione, dum tamen suis stipendiis militarent. Postea rex Coloniam adivit, ubi cum Ludowico duce Bavarix, qui se dixit regem Alemanniæ et imperatorem Romanorum, habito tractatu, rediit Brabantiam, et in villa de Andewerp remansit ad tempus. Iterum cum prædicto rege Alemanniæ rex colloquutus, atque amicitia inter ipsos confirmata, rediit ad Malines in Brabantia. Cardinales vero et episcopi Cantuariensis et Dunelmensis reversi de præsentia tyranni Francorum, in civitate Atrabatensi regem expectarunt.

Isto anno in quodam concilio per ducem Cornubiæ regni custodem et prælatos convocato et barones, concessa fuit regi lana popularium per eos qui fuerunt ibi præsentés. Iterumque clero, tunc absente, coadunato ad primum diem mensis Octobris, concesserunt ecclesiastici unam decimam pro anno tertio tunc sequente, sed solutionem lanarum, quam populares præbuerunt, ipsi unanimiter negaverunt.

Anno Domini 1338, ut præmissum est, cum ducibus Bavarix, Brabantix, et aliis amicis suis, rege Angliæ de prosecutione sui juris ad regnum Franciæ disponente, tyrannus Francorum malitiam a diu conceptam, de exinaniatione regni Angliæ, intendens evomere, conductos Januenses piratas crudeles misit pro

navigio et portubus Angliæ vastandis, qui in portu de Sclusa Flandriæ ceperunt quinque magnas naves regis, sed vacuas hominibus et mercimoniis, nautis ad solatia secure vacantibus, et eas in partes Normanniæ deduxerunt. Item feria sexta proxima post festum sancti Michaelis, quinquaginta galeæ armatis bene stipatæ, circa horam nonam ad portum Hamonis applicuerunt, et villam, quæ tunc non fuit armata, deprædaverunt; villanis præ vecordia fugæ dilapsis, ipsi in villa pernoctarunt. In crastino patria coadunata, numero trecentorum piratorum cum eorum duce filio regis Siciliæ juvene milite, fuerunt interfecti. Prædicto militi dedit Francorum tyrannus quicquid potuit de regno Angliæ nancisci, sed ipse a quodam rustico terræ prostratus, clamans "Rancoun," occubuit fustibus mactatus ab eodem rustico, reclamante, "scio quod tu es Frauncon;" non enim intellexit nec ejus idioma, nec erat doctus captos generosos redemptioni conservare. Itaque residui Januensium post particularem villæ combustionem, ad galeas (quibusdam submersis) fugerunt. Hanc villam ejus incolæ amplo muro postea cinxerunt.

Hoc anno rex Angliæ per totam hiemem apud Andewerp perendinavit, ubi regina sibi peperit dominum Leuencium, comitem Dolvestiere. Item rex suscepit vicariatum imperii a præfato duce Baviariæ, qui se tenuit pro-impe-

ratores, super quo papa scripsit ei literas redarguationis et exhortationis satis dure conceptas, de dato idibus Novembris, pontificatus sui anno quarto, adhuc rege taliter in partibus transmarinis guerram suam pro suo jure inchoandam suspendente. In vigilia Annuntiationis undecim galeæ immiserunt ignem villæ de Herewich, cujus ardorem ventus contrarius prohibuit crescere in nocumentum: ulterius in anno circa Pentecosten piratæ Normannici et Januenses in galeis et spinaciis circa portum Hamonis iterato in mari se ostendentes, se velle applicare comminati sunt per suos nuntios, quos jusserunt apparatus villæ explorare, et quia paratos incolas ad resistendum perceperunt, ad insulam de Vecta migraverunt, sed in illam non intraverunt, cedentes prohibitioni incolarum, sed se transtulerunt ad alia loca maritima minus bene munita, in quibus, more latrunculorum, multa mala commiserunt, et postea in festo Corporis Christi, apud Hastingshes, quam tunc gurria piscatorum combusserunt, cum eorum scaphis, hominibus occisis. Item contra insulam Tanatis et Doveriam, et contra Folkston, multoties se ostenderunt, sed in illis locis multa mala non fecere, nisi adversus pauperes piscatores. Deinde in portibus Cornubiæ et Devonix multâ mala contra piscatores commisere, et naves quas invenerunt solitarias incendebant, et tandem in hebdomada Pentecostes, portum de Plummothe

subito ingressi, naves quasdam magnas et magnam villæ partem ignibus vastabant, quibus ivit obviam dominus Hugo de Courtenay, comes Devonix, miles octogenarius, cum aliis militibus illius comitatus. Isti post perditionem quorundam popularium, qui dearmati quarellis balistariorum occubuerunt, demum piratas cominus aggredientes, multos super aridam mactaverunt, reliquis ad navigia ventilatis, et multos navigio non valentes appropiare mare submersit, ad numerum quingentorum, secundum æstimationem tunc præsentium ibidem.

Nova funesta regis aures in Brabantia commorantis percusserunt per asserentes, quod Hamptonam et alios portus Angliæ, cum illorum navigio piratæ crudeles tyranni Francorum devastarunt. Proinde suis amicis secum præsentibus, scilicet marchioni Juliacensi et cardinalibus exposita necessitate se vindicandi in suum adversarium tyrannum Francorum, recepit a cardinalibus tale responsum. "Regnum," inquit, "Franciæ filo serico circumcingitur, quod tota potentia regni Anglorum non sufficeret infringere; propterea, domine rex, expectes Teutonicos et alios tibi confœderatos, quorum major copia tibi deest adhuc, ut ipsorum adjutorio saltem videaris posse Gallicis nocere, atque tunc pacem honorabilem, nobis Dei gratia mediantibus, cum potenti rege Franciæ poteris obtinere." Ad hæc

indignati rex et sui comites, nulla contemplata expectatione Teutonicorum seu pecuniæ de Anglia futuræ, quam expectando tempus magis aptum guerræ illapsum rex cognovit, finaliter sententiavit se in terram Franciæ vexillo displicato equitaturum, et potentiam Francorum comminatum expectaturum, et quod illam vinceret præbentem occursum, aut honeste sub illa moreretur.

ANNO Domini 1339 et regni sui Angliæ 13, in vigilia sancti Mathæi cum 12 millibus armatorum contra tyrannum vexillo displicato, incepit equitare, comburens et destruens villas et castra circumquaque. In prima nocte cælo contenebrato, dominus Galfridus Scrop, iusticiarius domini regis, duxit alterum cardinalem, scilicet dominum Bertrandum de Monte Faventio beatæ Mariæ in Aquirio diaconum, in magnam turrem et altam, ostendens ei totam terram circumquaque versus Franciam, ad spatium quindecim milliariorum in omni parte incensam, dicens, "Domine, videturne tibi filum sericum Franciam circumcingens sic ruptum?" Ad hæc sine responsione cecidit cardinalis quasi exanimatus, tecto turris expansus præ dolore et timore. Sic per quinque septimanas itineravit rex in regnum Franciæ, quotidie continuando suas dietas, sicut potuit exercitus laborare, ita quod totam patriam Cameracensem et Tornacensem et Vermodensem et Laudinensem, exceptis muratis civita-

tibus et ecclesiis et castris, destruxerunt, fugientibus incolis præ timore. Nunquam sic itineranti ausus est aliquis obuius resistere, quamvis ipse tyrannus Francorum cum magnis exercitibus infra civitates muratas suos congregasset, ipso in villa fortissima Sancti Quintini latitante, nec umquam terram, quam dixit esse suam, extra muros civitatum audebat defendere contra regem Angliæ, in campo exercitui suo præidentem. Propterea inter alias blasphemias, quas universus mundus intulit tyranno, quidam hos versus in schedula sagittæ alligata, in villam sancti Quintini sagittavit :

Si valeas, pateas, Valoys, dimitte timorem,  
 Non lateas, pateas, maneat, ostende vigorem,  
 Flos es, rore cares, campis marcescis et ares,  
 Mane techel phares ; lepus et lynx non leo  
 pares.

Quoad nomen proprium quia vocabatur Philippus de Valesio, alius vel idem sic metrificavit.

Phi nota fœtoris, lippus nocet omnibus horis,  
 Phi nocet et lippus ; nocet omnibus ergo  
 Philippus.

Quumque Brabantini propter defectum victualium et imminentis hiemis asperitatem, disposuissent redire, atque fuissent in redeundo, tyrannus Francorum hoc advertens, movit se versus exercitum regis Angliæ, qui ipsum libenter expectans, revocavit Brabantinos. Ac-

ceptis itaque literis ex parte tyranni quod ipse voluit cum rege præliare, rex ad eum remisit, quod ipsum voluit per tres dies in campo expectare. Igitur quadriduo in campo electo regem expectantem noluit tyrannus appropinquare vicinius quam ad duo milliaria, sed pontibus con fractis et arboribus cæsis atque semitruncatis, et in itineribus patulis prostratis, ne rex ipsum insequeretur, versus Parisium cum dedecore revertebatur; quod intelligens rex Angliæ, de consilio suorum amicorum propter defectum victualium rediit per Hanoniam in Brabantiam, ubi fere per totam hiemem perendinavit. Medio tempore contraxit magnam amicitiam cum Flandrensibus, qui communem subjectionem, homagium, et fidelitatem ipsi jurare se paraverunt, dummodo rex Franciæ se nuncuparet, et in illius rei signum arma liliata de extunc gestaret. Non enim aliter audebant ei obedire, propter interdictum papæ, quod fuit interpositum in casu quo contra regem Franciæ forent unquam rebelles. Igitur de consilio suorum procerum et amicorum Flandrensibus consensit, et assumptis nomine et armis regiis Franciæ, Flandriam recepit in suum dominatum, cujus incolæ ipsum ex tunc per magnum tempus, tamquam regi Franciæ conquestori in omnibus obediebant. De titulo et armis prænominatis taliter alloquebatur quondam Anglicos sibi missos tyrannus Francorum, "Quod," inquit, "cognatus noster

arma gerit quadrata de armis Franciæ et Angliæ compaginatis, non nobis displicet, pro eo quod pauperiori nostræ parentelæ baculario partem armorum nostrorum regalium libenter concederemus deferendam, sed quod in suis sigillo et literis prius nominat se regem Angliæ quam Franciæ, et primum quarterium suorum armorum cum leopardis anteponebat quarterio liliato, nos angustat, videntes, quod parvam insulam Angliæ magno regno Franciæ præjudicet honorandam.” Cui dominus Joannes de Schordich miles et nuntius regis respondit, quod usitato more modernorum, titulum et arma suorum progenitorum armis et nomini, jure materno sibi debitis, rationabiliter prætulit suus dominus rex Anglorum. Rege circa negotia præscripta occupato, nautæ Quinque Portuum, assumptis spinaciis et scaphis bene munitis, cito post festum sancti Hilarii applicuerunt Bononiæ, juxta mare, in tempore nebuloso quo vix in portu fuerant percepti, et in villa inferiori 19 galiotas et 4 magnas naves et 20 scaphas cum omnibus suis armamentis combusserunt una cum domibus juxta mare situatis, inter quas erat una domus magna plena remis et velis, armis et balistis necessariis pro nautis, et defensoribus decem et novem galeotarum; tandem orto conflictu inter villanos et Anglicos, plures intranei ceciderunt occisi. Non multum postea, scilicet in principio mensis Februarii, rex in Angliam re-



gressus, regina pregnante in Gandavo dimissa, habuit parliamentum apud Westmonasterium, ubi laici concesserunt sibi nonum vellus lanæ, et nonum agnum, et nonam garbam cujuscumque generis bladi, et clerus unam nonam decimam. Ibi et rex statuit et fecit proclamari, quod nullus Anglicus ratione nominis aut armorum, quæ tanquam rex Franciæ habuit, secum arma portaret.

Cito post Pascha, comes Sarisburiae et Suthfolchiæ cum paucis armatis dantes insultum villæ de Lyle in Flandria, quæ adhæsit parti tyranni Francorum, nimis de prope, scilicet infra portas Francos fugientes insequuti, ponte demisso et fasce armatorum undique septi, conclusi, capti, in Franciam sunt transmissi. Duos illos milites, si non debeat obstare ista temeritas, probatissimos, inhumaniter tractavit superba indignatio Gallicorum, ferro nempe vinctos quamvis fide interposita redditos, non super equos sed in biga vectos, quasi prædones in medio cujuslibet civitatis parvæ seu villæ, clamore popularium blasphemandos, biga stare jussa, ipsos duxit ad conspectus tyranni, qui squalore carcerali maceratos interfecisset turpiter, nisi fretus consilio regis Bohemiæ a cruenta libidine abstinuisset.

ANNO Domini 1340, regni sui Angliæ 14, dominus rex tenuit festum Pentecostes apud Gippeswicum, supra suum passagium versus Flandriam, intendens transmittere cum sim-

plici comitatu, sed audito rumore quod tyrannus Francorum misit magnam classem navium Hispaniæ, et quasi totum navigium regni Francorum ad impediendum transitum suum, convocavit suum navigium de Quinque Portibus et aliunde, ita quod habuit ducentas sexaginta naves magnas et parvas. Igitur die Jovis ante festum Nativitatis sancti Joannis baptistæ, vento prospero flante, incepit feliciter navigare, et die Veneris sequente in vigilia prædictæ Nativitatis, vidit classem Francorum in portu de la Swyne prælio paratam et quasi castrorum acies ordinatam, unde in mari anchorans, per totam illam diem deliberavit quid esset consultius faciendum. In festo vero sancti Joannis valde mane classis Francorum se dividens in tres turmas, movit se per spatium unius miliaris versus classem regis, quod percipiens rex Angliæ, dixit non esse ulterius expectandum, se et suis ad arma currentibus, et cito paratis, post horam nonam, quando habuit ventum et solem a tergo et impetum fluminis secum, divide in tres turmas, hostibus dedit optatum insultum. Horridus clamor ad æthera conscendit super "equos ligneos," juxta Merlini prophetiam; ferreus imber quarellorum de balistis, atque sagittarum de arcubus, in necem millia populi detraxit: hastis, securibus et gladiis pugnabant cominus, qui voluerunt aut fuerunt ausi; lapides a turribus malorum projecti multos excerebrarunt; in sum-

ma committitur sine fictio ingens et terribile et navale bellum, quale vecors videre a longe non fuisset ausus. Magnitudo navium Hispaniæ et altitudo multos cassavit ictus Anglicorum, sed finaliter Gallicis devictis, et evacuata prima navium cohorte, saiserunt Anglici illam. Naves Gallicorum fuerunt concatenatæ, ita quod non poterant divelli ab invicem, unde paucis Anglicis unam partem cohortis evacuatæ custodientibus, cæteræ naves ad secundam cohortem manus direxerunt, et cum magna difficultate dederunt insultum. Illa tamen facilius quam prima fuerat evacuata, eo quod Gallici, navibus relictis, pro magna parte gratis seipsos submerserunt. Devicta igitur prima et secunda turmis navalibus, crepusculo noctis adveniente, Anglici propter noctis obscuritatem et nimiam lassitudinem quiescere decreverunt usque mane: igitur de nocte triginta naves tertiæ cohortis aufugerunt, et una magna navis quæ vocabatur James de Deope, voluit secum abduxisse quamdam navem de Sandwico, quæ fuit Prioris ecclesiæ Christi Cantuariensis, sed ejus nautæ cum adjutorio comitis Huntindunensis viriliter se defenderunt, et eorum conflictus per totam noctem duravit, in crastino finaliter devictis Normannis invenerunt in navi capta ultra quadringentos homines occisos. Ulterius die illucente et cognito quod triginta naves aufugerunt, misit dominus rex 40 naves bene munitas ad illas insequendas, quibus præ-

posuit Joannem Crabbe, quem peritiorem in arte navali et cognitione portuum Francorum Anglici reputarunt, quarum tamen effectus ignoratur. In prima cohorte navium captarum invenerunt victores illas naves, quarum prima vocabatur Dionysius, et alia Georgius, tertia Christophorus, et quarta le Blakecogk, quas Gallici primitus, ut superscriptum est, a portu de Sclusa furtive abduxerunt. Summa navium bellicarum ibi captarum ad ducentas, et bargiarum ad triginta se extendebat. Numerus inimicorum occisorum viginti quinque millia excedebat, et submersorum; de Anglia vero quatuor millia fuerunt occisi, inter quos erant quatuor milites, videlicet dominus Thomas de Mounthermer, consanguineus regis, dominus Thomas de Latimer filius, et dominus Willelmus le Botiller de Siortborne, et quartus ut dicebatur, quem non audivimus nominari. Circa idem tempus Scoti treugam inter ipsos et regem initam servare nolentes, Angliam in multa magnitudine venerunt, occisioni et combustioni totam fere Marchiam submissam deprædantes. Et quum prædam reducturis nobiles marchiones illarum partium, quibus magna pecunia pro Marchiæ custodia a rege tradebatur, occurrere non curarent, seu nimium protelarent, populares ipsis Scotis redeuntibus viriliter occurrentes, prædam captam abstulerunt, et multos occiderunt, et plus quam octoginta de majoribus Scotorum redimendos,

carceribus manciparunt, de quo majores illius Marchiæ minus rationabiliter fuerunt indignati. Postea, circa festum sancti Petri ad Vincula, piratæ Gallici cum adjutorio Hispanorum insultum dederunt in insulam Vectæ, et subito intrarunt, quibus dominus Petrus Russel miles cum popularibus obviavit, et ipsos potenter expulit, pluribus eorum interfectis, sed miles ibidem letaliter vulneratus expiravit. Piratæ vero ad partes Devonix se transtulerunt, et villam de Teignemuthe episcopi combusserunt, deinde versus Plummutham migrarunt, sed villæ defensæ nil nocuerunt; immo quædam maneria campestria combusserunt, et quemdam militem captum duxerunt quo volebant.

Post bellum navale præscriptum, reductis in Angliam copiis quas eduxerat, rex spolia comitibus suis distribuit, et devota loca Angliæ visitavit, in quibus gratias datori victoriarum suppliciter persolvit. Postea per assensum majorum de suo concilio, in Flandriam, (ut antea disposuit), transfretavit, secum deducens dominum Robertum comitem d'Artoys, qui per longa tempora ad expensas regis in Anglia vixit; ad regem nempe confugit petens auxilium contra tyrannum Francorum, qui possessiones patrum suorum in Artosia et Brabantia detinuit injuste, unde rex ejus homagio auxilium spondit et præbuit eidem. Igitur per Flandriam et Brabantiam

suum exercitum et dominium Francorum et suam hereditatem rex deducens, iterum ardere villas, profugare Francos, blada comburere, aut sub pedibus equorum calcare, diu continuavit, et tandem civitatem Tornacensem fortiter obsessit, remissis comitibus Gloucestris, Arundellis et Huntindonis in Angliam, pro tutela regni. Rex igitur secum habens marchionem Juliacensem, ducem Burgundis, et comites Hannonis, atque Celris, obsidionem cum paucis Anglicis tenuit valde magnam, cui victualia venalia competenter abunde populares de Flandria ministrarunt: confirmatis nempe amicitia et pactis inter ipsos et regem nuper initis, ipsi per omnia sicut vero regi Francis seipsos exhibebant. Taliter obsidione confirmata, scripsit rex Philippo de Valesio tyranno Francorum, quod ipsum in campo expectaret pro bello ad diem certum inter ipsos feriendo; et respondit tyrannus, diem assignans quo obsidionem se comminabatur amoturum; sed nunquam ad talem honorem pervenit, licet ab obsidione non ultra 4 leucas, quasi per totum tempus in exercitu suo latitaret. Comes Hannonis de licentia suos et cum illis 300 Anglicos sagittarios et paucos armatos direxit versus oppidum sancti Amandi, quindecim miliaribus distantem ab obsidione; ubi quinquaginta milites et alios multos ceperunt et occiderunt, et quasi infinitas divitias invenerunt, villa et patria adjacente circum-

quaque destructis: unde exercitui de victualibus abundantissime providerunt. Duravit obsidio Tornacensis usque ad festum sanctorum Cosmæ et Damiani, quod est pridie vigiliam sancti Michaelis, quo die post plurimos tractatus super treuga ineunda, per Francos procurata, in quam fuerat consensus ad petitionem Gallicorum usque ad festum sancti Johannis baptistæ, ex tunc proximo futurum, duraturam, ut posset interim de pace tractari, et redditi fuerunt hinc et inde captivi, sub conventionem jurata redeundi ad dictum festum in casu quo non fieret pax finalis. Sic fuerat soluta obsidio Tornacensis, et si verum fateatur, ad magnam displicentiam regis Angliæ. Rex nempe non habuit secum nisi paucos Anglicos ibidem, sed omnes alii fuerunt stipendiarii, quibus per quindenam nihil fuerat solutum pro eo quod pecunia expectata de Anglia non venit. Præterea dux Brabantiae et comes Hanoniæ, qui pro eo potissime cum rege militarunt, ut villæ et castra, quæ tyrannus Francorum ipsis abstulit et injuste detinuit, forent eis per auxilium regis restituta, quod et fuit factum, sed cessante causa pro qua laborabant, non plus placuit eis guerra aliena, propterea uno assensu regem provocarunt, et quasi coegerunt ad treugam ineundam, quorum oportuit ipsum pro tunc sequi voluntatem. Treuga igitur capta et obsidio soluta solis Anglicis et Flandrensibus, et aliis paucis

stipendiariis displicuerunt. Rex igitur ad Flandriam reversus, venit Gandavum, ad festum sancti Michaelis, ubi diu expectavit treugæ confirmationem et pecuniam adfuturam, quæ non venit. Postea putantibus omnibus Anglicis expectantibus in Gandavo cum rege, ipsum ibidem ad festum Nativitatis Christi expectaturum, una dierum rex cum octo de suis, fingens se velle spatari, equitans secreto, nullisque familiaribus præmonitis, venit Selandiam, ubi nacto navigio, post trium dierum et totidem noctium navigationem, in nocte sancti Andreae circa galli cantum, turrim Londoniæ per aquam intravit, ipsum comitantibus comite Northamptonæ, et domino Nicolao de Cantilupo, Reginaldo de Cobham, Ægidio de Bellocampo, Joanne de Bellocampo militibus, et Willelmo de Kylesby et Philippo de Westone clericis. Statim in aurora misit rex pro cancellario, thesaurariis et justiciariis tunc Londoniæ existentibus, et statim episcopum Cicestrensem cancellarii dignitate, et episcopum Coventrensem ab officio thesaurarii absolutos voluit misisse in Flandriam, impignorandos pro pecunia, sed Cicestrensis exposuit sibi et suis periculum canonis quod imminet episcopos incarcerantibus, et sic ipsos turri exire permisit. Justiciarios vero majores, scilicet dominum Johannem de Stonore, dominum R. de Wyleby, dominum Willelmum de Scharesheolle, et præcipue dominum Nicolaum de la Beche, qui prius



fuit custos turris Londoniæ, et dominum Joannem Molyns militem, item mercatores dominos J. de Pulteney, Willelmum de la Pole, et Ricardum fratrem ejus, et clericos cancellarii majores, videlicet dominos Joannem de Sancto Paulo, Michaellem de Wath, Henricum de Stratforde et de scacchario dominum Joannem de Thorp et alios quamplures jussit diversis carceribus mancipari, nec eos absolvit quousque sua melancholia concepta de pecuniæ detentione, quam ad obsidionem Tornacensem debuerant misisse, fuerat sedata. Hoc anno circa Nativitatem Domini, Henricus episcopus Lincolniensis et dominus Galfridus Scroup, justiciarius, regis principales conciliarii, in Gandavo obierunt.

ANNO Domini 1341, regni vero sui Angliæ quintodecimo, rex celebravit Christi Natale apud Guildeforde, et postea apud Redinge hastiludiavit. Item in festo Purificationis, apud Langeley, puerorum propter honorem nobilium de Gasconia quos ibidem cinxit ad ordinem militare, habuit solennia hastiludia. Item hoc anno fecit Robertum de Boursier militem cancellarium Angliæ, et Robertum de Sadyntone et Robertum de Pernynke milites ad officium thesaurariæ successive ordinavit. Emisit etiam justiciarios, qui in quolibet comitatu sederent et inquirerent super collecto-ribus decimarum, et quindecimarum et lanarum, et ministris aliis quibuscumque, et quia

Londonienses noluerunt permitttere quod super hujusmodi inquisitionibus contra libertates civitatis justiciarii in civitate sederent, ideo ordinavit rex, quod in turre Londoniæ justiciarii itineris suas sessiones inchoarent super factis Londoniensium inquisituri. Sed quia Londonienses noluerunt ibi respondere quousque suæ libertates allocarentur, nec super hujusmodi allocatione potuerunt brevia seu chartas regis habere, de regni cancellaria oriebatur in turri magnus tumultus a personis ignotis suscitatus, adeo quod justiciarii ibidem se nolle sedere finxerunt usque post Pascha. Interim rex pro tumultu prædicto graviter offensus, nitebatur scire nomina suscitantium præfatum tumultum, sed ad aliam notitiam non potuit devenire, nisi quod auctores tumultus exorti fuerunt personæ mediocres civitatis, suas libertates vendicantes, unde dominus rex, sua turbatione mitigata, Londoniensibus remisit offensam, justiciariis suas sessiones quoad locum illum desinentibus.

Anno isto in quindena Paschæ, in parlamento Londoniæ celebrato, comites et majores regni, scilicet pares et communitas, inter cætera petierunt, quod magna charta et illa de foresta, cum aliis ecclesiæ et regni libertatibus forent ad unguem observata, et majores officarii domini regis a paribus regni in parlamento eligerentur, sed has petitiones rex juxta suum privatum concilium recusavit exaudire,

et proinde, parlamento usque ad festum Pentecosten protelato, finaliter concessit quod sui principales officarii in parlamento forent jurati, quod in suis officiis cuilibet justitiam exhiberent, et si non facerent, in quolibet parlamento tertio die post principium parlamenti, sua officia resignarent, et singulis de eis querelantibus responderent, atque iudicio parium, si oporteret, punirentur. Super his et aliis factum fuit statutum regio sigillo consignatum, et ex tunc praelatis et aliis magnatibus dabatur licentia recedendi.

Hoc anno circa principium mensis Julii, recepit dominus rex literas Ludowici ducis Bavarie et usurpatoris imperii Romanorum, in quibus prefatus Ludowicus preterdens amicitiam inter ipsum et Philippum regem Francie nuper initam, dixit sibi displicere guerram Gallicam per regem Anglie inchoatam, et monuit concordiam inter reges et pacem reformandas, ad quam seipsum obtulit et ad hæc promisit se libenti animo velle vacare et impendere onerosa prosecutione labores, et ad hæc securius facienda petiit a rege, "Placeat" inquit, "tibi nobis tuis literis dare potestatem premissam tractandi concordiam, treugas ad annum vel biennium ordinandi," infra quoque se excusans de amicitia inter ipsum et regem Francie Philippum, ut dictum est, initiata, quam dixit cum honore suo se posse acceptasse, ex quo rex Anglie

absque scitu suo cum rege Philippo treugas et certos terminos ad tractandum de concordia suscepit. Propterea prædicta amicitia non debere regem Angliæ moveri, et versus finem subduxit, "vicariatum tibi per nos commissum ex causis revocamus. Data Francunford, 14 die Junii, regni nostri anno 27 et imperii 14."

Ad vocatos apices imperiales rescripsit rex ita: "Serenissimo domino Ludowico, Dei gratia Romanorum imperatori, semper Augusto, Edwardus eadem gratia rex Franciæ et Angliæ, et dominus Hiberniæ." . . . . .

ANNO Domini 1342, regni sui Angliæ sextodecimo Franciæque tertio, rex dedit comitatum Cantbrigge domino Joanni de Hernald, patruo dominæ Philippæ reginæ, et postquam apud Novum castrum celebravit festum sanctæ Catharinæ, et solennitatem Dominicæ Nativitatis, quo ad idem festum David rex Scotorum comminabatur se affuturum, collecto exercitu intravit Scotiam, et prædictum David fugientem persequebatur ultra mare Scoticum, omnia devastans præter castra et paludes, in quibus Scoti cum eorum rege David se occuluerunt, atque comes Saresberię Wilhelmus de Monte acuto, nacto navigio cymbarum, insulam unam et optimam illarum, quas vocant Howthildes, Scotiæ pertinentium, est ingressus, ubi universa victoriose subjugavit. Prædictam insulam, quæ Mannia vocatur, dominus rex præfato comiti conquestori libere

dedit possidendam, et regem illius terræ fecit ipsum appellari atque coronari. Rex deinde ad partes reversus australes, egregium torneamentum apud Dunstaple solennizavit, cum ducentis et triginta militibus, et eodem anno unum bourdis apud Norhamptone fieri permisit. Item in parlamento apud Westmonasterium celebrato, dominus Joannes archiepiscopus Cantuariensis, fuit regi conciliatus, coram quo in parlamento non tamquam suo iudice ordinario juravit, quod quamvis de suo consilio et assensu rex tyranno Francorum pro ducatu Aquitaniæ et comitatu Pontiniæ fecerat homagium, ad hoc tamen nunquam consensit tanquam in regis præjudicium, nec ut tyranno Francorum hujusmodi consilium præbendo placeret, sed quia pro tunc hoc putavit consultius faciendum pro pace et utilitate regis et regni. Post prædictum parlamentum rex fecit incudi auream monetam triplicis valoris, scilicet denarium 6 solidorum et octo denariorum, obolum 40 denariorum et quadrantem 20 denariorum.

ANNO Domini 1343, regis Angliæ 17, religiosi possessionati ad preces amicorum regis, libere contulerunt ei in subventionem justæ guerræ suæ jocalia pretiosa, aurea et argentea, equos et bigas, atque quadrigas, unde suum ærarium multum notabiliter fuerat ditatum. Eodem anno committebatur esceatoribus regis inquirere et certificare concilium regis qui ad

valorem centum sterlingorum vel supra de ipso in capite, seu de quocumque feodalia tenerent, et eorum nomina in scriptis notificare. Aliis etiam committebatur quod in qualibet schira sagittarios experiendos convocarent, alios etiam viros aptos armis deferendis cum armis quibus melius scirent se defendere, aut hostes invadere, et omnibus sic convocatis et expertis ætatis legitimæ fuerat præceptum, ut ad regis imperium forent parati secum contra suos et regni inimicos pugnatum ituri. Eodem anno multi vocati in regis auxilium contra Scotos, nec parati ad eundem, contulerunt pecunias, quibus stipendarios pro ipsis domi remansuris rex posset vadiare.

ANNO Domini 1344, regis Angliæ 18, in auxilium domini Joannis de Monte forte ducis Britanniæ, cujus uxor et filii in custodia regis manserunt, fuerunt missi comes Northamptonæ et comes Oxoniæ, dominus Hugo Despenser, dominus Ricardus Talebot milites, et dominus Willelmus Kylesby clericus, singulis præfectis magnis copiis armatorum et sagittariorum. Britanniam itaque profecti invitatis inimicis resistentibus, terram ceperunt, et multos asperos conflictus contra ipsos habuerunt, tandem captis villis tam muratis quam campestribus, et aliis fortaliciis, castra de Bruske et de Templo Correntyn per insultus ceperunt, et totam patriam partim redditam et partim destructam sibi submiserunt

usque ad villam de Morleys, ubi dominus Carolus de Bloys cum ingenti exercitu illis obviavit. Igitur in campo juxta Morleys exercitus hostiles conflixerunt, ubi animositas utriusque gentis, Britonum videlicet, Gallicorum atque Anglicorum fuerat experta. Pugnatum est fortiter ex utraque parte, ita quod contigit in illo certamine quod nec in bellis nec Halidonehill, nec de Cressi, nec de Petters audivimus contigisse. Duces nempe partium, scilicet Carolus de Bloys, cui illius terræ dederat ducatum Francorum tyrannus, et Willemus de Bohun comes Norhamptonæ, quem pro tuendo jure Joannis de Mountfort, naturalis ducis illius terræ, rex exercitui Anglicorum præfecit, animositate quam habuerunt heroes generosi, omnia libentius perdidissent quam turpi vecordia arguendi, campo relicto, terga vertissent. Pugnatur proinde ex utraque parte animose, nec unquam in tota Gallica guerra, quæ capturam pseudo-regis Francorum Joannis antecessit, Francos tam acriter vel ita diu manualiter in campo pugnasse potuerit asserere Anglicus aut Francus aliquis, nisi mendax. Ter eodem die lassati ex utraque parte se modicum retraxere anhelitum respiraturi, pallis, lanceis et spatibus ad quiescendum appodati, sed tandem magnanimus ille Carolus, suis fugientibus, compulsus erat fugam inire, unde Angli salutem pacifice vacabant.

ANNO Domini 1345, regis 19, Henricus

comes Derbiæ, postea dux Lancastriæ creatus, et comes Devonæ et comes Pembrochiæ, et dominus Radulfus nondum comes Staffordiæ sed baro, et dominus Walterus de Magne Gasconiam destinantur, ubi conquisitis villis muratis et castris, multa gloriosa certamina fortiter vicerunt, villam D'Agviloun per insultum acquisitam deputabant custodiæ Radulphi Staffordiæ, postea diverterunt se ad alias villas, ut Brigerake vocatam pro sua fortitudine "cameram Francorum," et ad villam sancti Joannis et de l'Arnele et alias multas grandes et fortes et bene munitas, quas magnis laboribus et insultibus periculosis acquisierunt. Ibi dux Lancastriæ milites in fossatis subterraneis, quæ pro diruendis turribus et muris effodiebantur, graves a virilibus defensoribus insultus patiebatur, et manualiter contra obsessos dimicavit, et quod antea fuit inauditum, in iisdem fossatis milites tam Gascones quam Anglicos effecit: quippe villas, civitates, castra et fortalicia 250 conquirendo, magnam partem Gasconiæ et usque Tolosam transequitavit, ubi dominas Tolosanas et virgines nobiles per suas literas ad convivandum secum et suis comitibus domino Bernardo de Libreto Aquitanico fidei invitavit, sed civitatem Deo conservante, nihil ejus incolis malefecit, nisi quod terrorem intolerabilem, ut obsessi mihi retulerunt, iis intulit, ita quod religiosi mendicis ad arma compulsis, prior Carmelitarum beatæ Mariæ



Tolosæ sub vexillo argenteo imaginem auream beatæ virginis habente de quarerio sui incolatus civibus præfectus ostendens suum vexillum, ad muros per armorum errantios descriptum ducem ad devotionem piam, et quamplures de exercitu atque nonnullos ad derisionem provocavit. Postea circa Quadragesimam anni secundi, duce et comitibus cum prædatis et captivis redimendis, auri quoque et argenti magnis collectis, Burdelagim, Brigeracum, et alias munitiones suas reversis, Joannes de Valesio primogenitus et hæres tyranni Francorum, cum magna multitudine juvenum militum et stipendiariis Teutonicis non paucis, obsessit villam de Agviloun, et ejus capitaneum baronem Staffordiæ, et ita sapienter suum exercitum fossatis munierunt, quod ad eos Anglicis sine magno periculo non patuit accessus, saltem ipsis invitis, nec minus prudenter seu viriliter obsessi suam civitatem defensam custodiebant, ita quod pluries cum exercitu extra muros et portas manu ad manum pugnare. Dux vero et sui non segniter se habuerunt, immo plures conflictus cum obsessoribus habuere, et obsessos crebro novis vicualibus refecerunt, nec tamen obsidionem valuerunt penitus amovere, propter impossibilitatem aggrediendi obsidentes fossis circumseptos, qui noluerunt ad bellum campestre ferendum assentire, sed respondebant se non propter bellum, sed ad obsidendam illam civitatem

illuc advenisse. Itaque duravit obsidio præstita usque post festum Decollationis sancti Joannis, audito nempe pro tunc quod rex Angliæ apud Cressi patrem suum Philippum debellavit, timens ne nimis tarde ad patris præsentiam et concilium deveniret, gratis dimissa obsidione, tentoriis et papilionibus suis incensis, occultam fugam iniit tenebris nocturnis. Fugientes persequerentur nobiles obsessi, scilicet comes Staffordiæ prædictus et filius domini de Libreto, et percusserunt eos in posteriori exercitus parte, cujus amputata cauda de illorum equis et captivis reductis, tentoriis quoque ab igne salvatis oppidani fuerunt notabiliter ditati, et de rumoribus illorum fugam cantivis valde confortati. His in Gasconia et prædictis in Britannia mirabilius quam scripsi se habentibus, domino regi ad transfretandum se disponenti, eliguntur sagittarii, decimæ et quindecimæ burgensibus et campestribus sunt collectæ, et insuper vicesies millia saccorum lanæ eidem conceduntur. Item dominus Goddefridus de Harecourte Normannus, venit ad regem, et petens auxilium contra tyrannum Francorum, qui terras et possessiones suas sibi detinuit et abstulit injuste, facto regi homagio juravit sibi fidelitatem. Postea pœnituit eundem propterea conversum in prodicionem regis ut placaret faciem tyranni Francorum, et hoc in sequentibus erit tactum.

ANNO Domini 1346, regis anno 20, comes

Northampton et cæteri domini cum illo Britanniam, ut descriptum est, profecti, castra per illos acquisita in ducatu Britanniae viris fidelibus bene victualitata custodienda commiserunt, et ad praesentiam domini regis cum gloria et honore in Angliam revertebantur. Postea dominus rex suum passagium in Neustriam properavit, ipsum apud Portusmutham et Porcestriam navigio expectante. Igitur cum comitibus Northampton, Arundele, Warwike, et dominis de Harecourt, Huntindone, Oxenforde, et Suffolchiæ, et episcopo Dunelmensi, et domino Willelmo de Killesby clerico, quorum quilibet copiosam massam armatorum atque sagittariorum secum deduxerunt, dominus rex ad praedictos portus a calendis Junii usque ad quintum diem mensis Julii ventum tardum sed prosperum expectavit. Tandem cum mille navibus, spinaciis atque cariariis incoeperunt velificare mirabiliter. Secretum tenebatur tunc consilium regale; magistri nempe navium adhuc de portu amoti nescierunt quo deberent naves dirigere, sed jussi sequebantur amirallum. Attamen eodem die rex de sua nave emisit nuntios ad caetera vasa, jam longe ab litore distantia, praecipiens eorum rectoribus ut sequerentur amirallum, ad portum de Hoggis in Normannia naves directuri. Tandem die tertio decimo ejusdem mensis Julii, ad portum desideratum applicuerunt, ubi nacti terram, in littore suum primogenitum fecit

militem, et eum principem Walliæ constitu-  
ebat. Statim princeps et fecit milites dominos  
de Mortimer, de Monte acuto, et de Ros, et cum  
illis etiam fuerunt alii consimiliter ad ordinem  
promoti militarem. Per residuum diei et to-  
tam noctem rex in villa de Hoggis hospitaba-  
tur, et in crastino, die Jovis, per exercitum  
villa combusta, deinde per patriam Constanti-  
nin profecti, nocte sequenti in Marcellis rex  
hospitabatur, ibi per quinque dies commora-  
tus, in quibus tota patria cum villa de Barbe-  
flete combusta fuerat, vastata, cum tota illa  
costa marina. Deinde ad Valoygnas bonam  
villam combustam, deinde ad Seint Combe de  
Mont, juxta pontem Done, et ad Carantam,  
deinde ad Serins et ad civitatem sancti Ludo-  
vici, et bonam villam de Turny profecti, om-  
nia combusserunt, et illa nocte hospitatus rex  
ad Cormolin, deinde apud Gervicellam, monas-  
terii de Came nihil relinquit inconsumptum.  
Postea in die Martis, dederunt insultum, et  
cum magno certamine ingressi sunt nobilem  
civitatem de Came, ad pontem, qui acerrime  
fuerat defensus. Illic fuerunt capti et occisi  
centum et 43 milites, inter quos fuerunt comes  
d'Eu, et Camberlinus de Tankerville, probi mi-  
lites, cum aliis captivis in Angliam missi, et  
abbatissa de Came, de quibus, villæ qui resis-  
tebant fuerunt occisi amplius quam mille tre-  
centi. Ibi morabatur exercitus per sex dies,  
qui spolia usque tunc in villis et patria acqui-

sita, vel miserunt, vel vendiderunt nautis, vel per nautas, qui juxta maritima regem sequebantur, omnia vastantes, quæ possent ad artem navalem pertinere. Deinde ad monasterium forte et defensivum, et villam de Turwarde, in marisco situata, postea ad Argeny bonam villam, de nocte venerunt ad Romeuil, omnia comburentes, deinde apud civitatem de Lysens invenerunt cardinales de Claro monte et Neapolitanum, et unum archiepiscopum, offerentes regi tractatum pacis, et ibi morabatur rex per 3 dies, recusans tunc de pace tractare. Deinde præterierunt Leseintnoland et villam de Briene, et hospitabantur apud Neuburghe, et postea apud Celebeef super Seigne Seganam, et ibi Wallici Seganam transnataverunt patriotis invidis resistantibus, et plures eorum occiderunt. Deinde transierunt juxta castrum et villam de Pont d'arch, loca fortia non expugnata, et illa nocte apud Lury super Seganam hospitabantur, juxta bonam villam de Louers, quæ fuit incinerata. Postea transierunt per castrum et villam de Gailon capta et combusta, et hospitabantur apud Lungevile, quæ est juxta bonam villam et castrum de Vernon non capta nec tacta, et ibi introivit in Franciam, et illa nocte combusserunt castrum de Rocheblanche, quæ stat ultra Seganam, et hospitabantur apud Frevile super Seganam. Postea transierunt per villam de Maunte de nocte hospitati apud Eporne. In crastino, die Veneris transierunt

ad Freignus, et in sabbato venerunt ad bonam villam de Poecy, ubi pontem per Gallicos fractum, ne regi trans Seganam transitus per illum pateret, contrario sensu ipse rex fecit reædificari; et eodem die Dominico venerunt de Amyas et Francia tres magnæ acies ordinatæ ad prohibendum regi passagium, sed habito ibidem acri conflictu, et trecentis Gallicis in illo peremtis atque cæteris fuga dilapsis, combusserunt triginta duas bigas et quadrigas plenas balistis, quarellis, et aliis armaturis atque victualibus. Igitur ibidem mora duorum dierum protracta, transierunt ad Gersile juxta Pountoys, et die Mercurii apud Autel hospitati, in crastino dimiserunt a latere civitatem de Bennoys intactam, et per Trosolurs profecti, apud Somerens die Veneris hospitium ceperunt. In crastino cum insultu expugnaverunt villam de Poys acriter defensam, et castrum combusserunt, deinde profecti diebus Lunæ et Martis apud Areignus sunt demorati, deinde apud Achen hospitati die Jovis venerunt ad Noil sur la Meer, vadum aquæ de Summe de Port, ubi fluxus et refluxus maris succedunt. Ex oppido illius vadi venerunt Gallici de civitate d'Abeville, et illius patriæ cum exclamatione valde superba prohibitori transitum per vadum, in tres acies terribiles divisi, contra quas habuerunt Anglici dirum congressum, domino Hugone de Spenser illud primitus arripiente, sed per Dei gratiam, adverso litore invitis re-

sistentibus acquisito, ibidem bis mille ceciderunt peremti plures quam . . . . et eadem nocte villa de Cretoye capta et incinerata, amplius quam trecenti stipendiarii Januenses, post periculosam resistentiam corruerunt occisi. Ad vesperum diei Veneris sequentis, rege super litus de Summe residente, venit super ripam, quam antea peragrarunt, Philippus de Valesio tyrannus Francorum, et cum ipso reges Bohemiae et Malogriæ, cum exercitu innumerabili in acies octo magnas diviso. Gallici regem et Anglicos superbe exclamaverunt, militibus utrinque in vado et super littus more guerræ hastiludiantibus. Rex misit tyranno offerens pacificum et indemnem transitum per vadum, ad eligendum sibi locum aptum bello, sed formidolosus ille Philippus, qui se antea minabatur insequuturum regem, noluit tunc bellum, sed quasi ad alium locum aquam transiturus divertebat, et rex ipsum expectabat per totam noctem. In crastino, scilicet die sabbati, rex promovit suum exercitum ad campum de Cressi, ubi obviavit ei exercitus tyranni. Igitur rex semper ad prælium præparatus, et sui exercitus acie prima principi Walliæ filio subordinata, custodia secundæ missa, tertiam custodiam sibi retinens, omnia Deo et Virgini beatæ commendavit, observato quod sui omnes pedites insultum hostilem expectabant, dextrariis et cursariis cum victualibus venationi hostium fugitivorum reservatis. Exercitus Fran-

corum fuit in novem turmas divisus: prima custodia regi Bohemiæ, viro magnæ sapientiæ et armorum experientiæ commendabatur, qui eodem die in purgationem suæ famæ petiit a tyranno primum ducatum, atque prophetavit se moriturum contra nobiliorem mundi militem; sibi enim dicenti regem Angliæ non esse fugam initurum fuit vecordia inproperata, unde regimen primæ custodiæ habuit cum instantia magna. Tantum securi fuerunt in multitudine sui exercitus heroes Francorum, quod singuli petierunt singulas personas Anglicas suis carceribus mancipandas. Rex Mallogriæ petiit regem Anglorum sibi dari, alii principem, alii comitem Northampton, alii alios, secundum quod videbantur nobiliores, sed tyrannus astutus, timens ne circa captionem nobilium redimendorum sui forent nimium occupati, et proinde segnius ad communem victoriam anhelarent, jussit explicari suum vexillum quod vocatur Oliflammum, quo erecto, non licuit sub pœna capitis aliquem capere ad vitam reservandum. Vocabatur inquam Oliflammum, signans misericordiam Francorum incensam aliquem mortalem posse reservare ad vitam non posse, sicut nec oleum inflammatum alicui cremabili posse parcere: ita vexillum ad dextram stationardi regalis Franciæ, habuit aurea lilia lata cum filis aureis a lateribus vexilli regii Francorum, quasi in vacuo dependentia. E contra rex Angliæ jussit suum



vexillum, in quo draco armis suis togatus depingebatur, et ab inde fuit nuncupatum "Draco," significans feritatem leo perditam atque mititiam liliorum, in draconcinam crudelitatem fuisse conversam. Acies taliter ordinatæ steterunt in campo ab hora prima diei usque ad vesperam, Gallicorum multitudine onerosa per advenientes continuis incrementis multiplicata, tandem circa solis occasum, exercituum nimis horridorum post guerraria hastiludia, prima certamina, tubis clangentibus, tympanis et naquirinis cum lituis strepentibus, Gallicis Anglicos quasi tonaret exclamantibus, inchoaverunt balistarii Francorum, quorum quarellæ nullum Anglicorum attigerunt, sed ceciderunt a longe coram eis. Ad strepitum prægrandem balistariorum excitati sagittarii, adversos cum sagittis confossos necuere, et in breve quarellarum grandine sagittarum finnuerunt. Intellecto quod balistarii nihil Anglicis nocuerunt, Gallici armati juvenibus dextrariis et agilibus cursariis insidentes, balistarios ad numerum septem millenariorum inter ipsos et Anglicos situatos, sub pedibus equorum calcaverunt prostratos, impetuose festinantes in Anglicos suas ostentare virtutes. Itaque inter pedites grossis equis calcatos, sonus inhorruit lamentabilis, quod posteriores in exercitu Francorum putaverunt fuisse Anglicorum morientium. Nitebatur proinde quilibet Gallicus suos prosequi præcedentes, sed ad illam inconsultam

temeritatem maxime fuerunt voluntarii novitii milites, quibus valde abundavit exercitus, et omnes cupidi magni honoris, quem regem Angliæ debellando, quilibet putabat se acquisiturum. Et contra Anglici Christi matrem invocantes, quum illum diem sabbati cum jeuniis sacrificaverunt, effodierunt in parvo tempore multa foramina in terra coram acie prima, profunditatem unius pedis, et eandem latitudinem, quolibet illorum, ut si, quod abfuit, equites Gallicorum ipsos nimis fuissent insequuti, equi ad foramina titubarent. Sagittariis etiam sua loca designarunt, ut non coram armatis, sed a lateribus regis, exercitus quasi alæ astarent, et sic non impedirent armatos, neque inimicis occurrerent in fronte, sed in latera sagittas fulminarent. Igitur a balistariis, ut dictum est, per equos grossos calcatis, et a dextrariis per sagittas perforatis, ingens luctus ad astra levatur, et ab equis titubantibus aciei forma Gallicorum horride turbatur; cum Anglicis armatis confligentes, securibus, lanceis et gladiis prosternuntur, et in medio exercitu Francorum multi compressi a multitudine onerosa, sine vulnere opprimuntur. In tam diro congressu acierum, magnanimus Edwardus de Wodestoke, regis primogenitus, agens tunc annum ætatis sextum decimum, in prima custodia ostendebat Gallicis suam probitatem admirandam, equos perforando, equites prosternendo, cassides conquatiendo, lanceas trun-

cando, ictus objectos prudenter frustrando, suos juvando, seipsum defendendo, amicos prostratos erigendo, et suis omnibus exemplum benefaciendi exhibendo, nec a tanto labore conquievit, quousque inimici aggere mortuorum muniti seipsos retraxere. Ibi didicit ille militaris honor quomodo bellum de Poitiers, in quo postmodum regem Franciæ captivavit, actus militares expertus ordinaret. In isto certamine perstiterunt continue cum juveni principe contra illi pauci ordinati aciei primæ, quos Gallici crebro commutati, et pro occisis aut fessis seu vulneratis retractis novi recentes supervenerunt, et continuis accessibus ita occuparunt principem et sibi astantes, quod per ingruentem super illum molem hostium, tunc compellebatur genuflexus pugnare. Tunc cucurrit aut equitavit ad regem suum patrem et petens auxilium exposuit periculum quod iminebat suo primogenito, unde missus . . . . . cum 20 militibus in principis succursum, invenit ipsum et suos lanceis et gladiis appodiatos, super montes mortuorum longos respirationi et quieti inclinatos, hostes retractos expectare; sic a solis occasu usque ad tertiam noctis quadrantem fuerat, vicissim horrida Martis facies ostensa, in quanto tempore ter Gallici nostros exclamaverunt hostiliter, quindecies nostris insultum dederunt, sed tandem victi aufugerunt. In crastino quatuor acies recentium Gallicorum supervenerunt, et quasi nullum malum

suis accidisset, Anglicos jam quarto pompaticè exclamantes, decimum septimum congressum inierunt. Anglici ex adverso quamvis hesterno labore fessi, attamen viriliter restiterunt, et post acre magnumque certamen, hostes in fugam compulerunt, atque fugientes insequuti, in ipsa venatione et a principio illius conflictus ter mille viros occiderunt, prædictis scilicet diebus sabbato et die Dominico. Fuerunt in prælio de Cressi peremti rex Bohemiæ, archiepiscopus de Auxinius, episcopus de Noyoun, dux Lotharingiæ, comes d'Alensount, et frater ejus Philippus comes de Harecowrot et duo filii ejusdem, comes Darsour vel Danser, comes d'Aumarle, comes de Samuus, comes de Bloys, comes Flandriæ, comes de Mocobiliard, comes de Naimer, comes de Grantpres, et alii comites, ut dicebatur, Teutonici, quorum nomina fuerunt ignota. Aliorum dominorum fuerunt occisi dominus Robertus Bertram marescallus exercitus, dominus de Ros-sengburghe, maximus de concilio tyranni, prior provincialis Franciæ hospitalis sancti Johannis, abbas de Corbele, dominus de Morele, dominus de Cayen, dominus de Sevenaunt, et plures alii, quos Gallici capti et inquisiti nescierunt nominare. Summa virorum militarium et superioris dignitatis in illo bello peremptorum excedat quatuor milliaria, alias res ibi de occisis nemo curavit numerare. Istos generosos detraxit in cladem ipsorum

inconsulta præsumptio, ut tactum est, nitentium quemlibet alium antecedere ad honorem capiendi seu debellandi regem Angliæ. Ab hora nona illius diei Dominicæ, quo benedictum certamen fuit terminatum, rex et exercitus semoti a mortuis, per medium milliare, gratias datori victoriarum, et quieti corporali indulgebant, suos nec minus recensentes, non invenerunt quod quadraginta de toto exercitu regis perierunt. Tandem hora vesperarum capientes corpus regis Bohemiæ, fecerunt aqua tepida lavari, et involvi in lineis mundis et poni in feretrum equestre; et circa illud episcopus Dunelmensis, astantibus rege et suis comitibus cum clero præsentibus, exequias mortuorum sollemniter celebravit. Item in crastino, super altare viaticum missa de Requie et aliis privatis celebratis, ducto secum corpore nobilis regis Bohemiæ, transierunt per monasterium de Mounteney, et die Martis sequenti per unum malum passagium ad villam de Mounteney, et exinde ad abbatiam de seint Joce: postea prætereuntes vadum quoddam, ad Novum castrum devenerunt, ubi demorati duobus diebus, exinde venerunt Calesiam, quam statim obsidione vallaverunt, quarto die Septembris, anno regni regis Angliæ 20, et a conquestu Franciæ septimo.

Edwardo Dei gratia rege Angliæ et Franciæ conquestore, inexpugnabilem villam de Caleys obsidente, misit tyrannus Francorum ad David

regem Scotorum magnum munerum Januensium et aliorum stipendiariorum, ipsum exhortans per suas literas, quod Angliam sua militia et viris bellicosis, ut dixit, evacuatam fortiter aggredereatur deprædare, castra et munitiones expugnare, et ad suos usus reservare, ut alias illi duo simul sibi totam Angliam eo facilius subjugarent. Igitur circa festum sancti Dionysii, rex Scotorum David cum potentia Scotica et stipendiariis sibi missis ingreditur Angliam, dimittens Berwicum per Anglicos defensum, tandem peragrata foresta Alnewici, et adjacente patria deprædata, oppugnarunt quoddam manerium dominæ de Wåke, vocatum Ludedew. Prædictum locum per tempus aliquot contra ipsos defendebat dominus Gualterus de Victore, se reddidit pro redemptione conservandus, qui suum magistrum Seleby miles magnæ probitatis, qui tandem mole Scotorum coactus, more victori de jure militari bellis Scoticis atque Gallicis usitato, vitæ illius captura ad David notitiam ventilata, jubetur occidi illius miserentem atque redemptionem affectantem deprecabatur, ut ad David conspectum vivus duceretur. Petiti primi voti compos genuflexus coram David, petivit vitam pro redemptione, sed iterum morti condemnatur. Allegavit miles contra crudele mandatum tyranni, quod antiquo jure pietatis regiæ regnorum tam Scotiæ quam Angliæ vel Franciæ, quilibet miser etiam reus regiæ majestatis,

foret gavisurus privilegio immunitatis, quamdiu conspectui regis astaret, et quod nunquam contingebat aliquem supplicio finali detrudi, postquam præsentis faciei regalis misericordiam suppliciter petivit. Sed indurata malitia tyranni torquens funem facinorosum, quo in præcipitium traheretur, non recordatus quod oleo, misericordiæ typum gerente, fuerat quondam perunctus in regem, quasi lacte lænæ fuisset educatus, jussit duos filios miseri militis in conspectu patris jugulari, et postea præ dolore fere insanientis caput amputari. Testis mihi Deus, pluries inquisivi, sed non audivi de illo milite quod prodicionem contra regem Scotorum, aut aliquem Scotum perpetravit unquam; cujus et filiorum crudelem et injustam peremtionem credo fuisse magnam causam periclitationis regis, et magni exercitus Scotorum, forma subsequente. Exinde progredientes miseri non timuerunt sanctum Cuthbertum, quem antiqui reges Scotiæ in magna veneratione habuerunt, et suum monasterium magnis eleemosynis ditaverunt, non ipsum inquam timuerunt, sed nec suum dominium devastare: nempe per multas suorum prædiorum deprædationes, venerunt prope Dunelmiam, non distantes ad duo milliaria, ubi quosdam monachos sancti Cuthberti captivos redimendos detinuerunt, pacto cum cæteris inito de certa redemptione pecuniæ et bladi, ne manerias illorum ultra deprædarent.

Oritur luctus Anglicorum marchionum a facie exercitus fugientium, unde dominus Willelmus de la Zouche archiepiscopus Eboracensis, qui locum regium in illa marchia tunc habebat, convocatis cum eorum copiis episcopo Carlionensi, comite d'Anegos, domino de Moubray, domino de Percy, domino de Neville, et aliis nobilibus borealibus, cum sagittariis de comitatu Lancastriæ, in vigilia sancti Lucae evangelistæ ad locum qui vocatur Nevillocros, exercitui Scotorum occurrebat. Restitit animose natio Scotica nescia fugæ, et capitibus ferro tectis inclinatis, acies densa Anglicos invadens, cassidibus politis et umbonibus numero firmatis, sagittas Anglicorum in primordio belli frustravit, sed armatorum acies prima ictibus letalibus hostes salutavit. Stant pugnaces ex utraque parte morti quam fugæ paratiores; vidisses Scotos præ labore fessos ictibus securium capitatorum sicut attonitos, et tamen stantes, quod ubi forsitan steterunt decem, singuli singulis appodiati, ad unum ictum uno ruente omnes illos decem corruere; sicut retulerunt hi qui viderunt eos cadentes. Marescallus Scotorum, comes Patricius, cui posterior custodia fuerat deputata, ut primo percepit Anglicos resistere, suosque cadere, fugam iniit cum quibusdam consciis suæ vecordiæ, quam dominus de Percy eodem die prophetauit, dicens "Vecordia illius proditoris, nunquam ausi nobis in campo etiam obviare, plus



proficiet nostro exercitui, quam nocerent mille Scoti." Illo fugam ineunte, cæteri fideliter cum suo rege persistentes, pulcram mortem turpi vitæ prætulerunt. Steterunt nempe in modum rotundi turris glomerati, regem in medio protegentes, quousque vix fuerant quadraginta superstites relictî, de quibus non potuit aliquis effugere. Tandem eorum rege David per Johannem de Copeland captivato, et cæterorum quolibet occiso aut redemptioni reservato, illorum dico, qui cum rege perstiterunt, alios fugitivos insequabantur occidendo et capiendo, usque ad Prudhow et Corebrigge. In tanto certamine fuerunt capti David de Bruys rex Scotorum, comes de Menteth, comes de Fiffe, dominus Malcolmus Fleming, comes de Wixtone, Willelmus Douglas, Willelmus de Levingstone, Walterus de Haliburton, Johannes Douglas, David de Anand, Johannes de Seint Clere, Willelmus Moubray, David filius Roberti, fiz. Cant. Willelmus de Ramsey, Adam Moigne, Johannes Stiward, Rogerus de Kirkpatrik, Johannes Hume, et Willelmus Morre milites, Jacobus Sandelflome, Jacobus Lorein, et Henricus del Ker, domicelli. Occisi fuerunt in eodem bello comes de Morif, et comes de Straterne, item Alexander Stragy, Johannes de Halyburtone, Henricus de Rammesey, Naso de Rammesey, Adam Nilkesson, Thomas Boyde, Johannes Styward, Alanus Styward, David de la Haye, Edwardus de

Keth, Johannes de Crauford, Johannes de Lyndeseye, Philippus de Meldrun, Henricus de Ramesey, Alexander Morre, Humfridus de Boys, Gilbertus Inchemartyn, Robertus Maltalent, et suus germanus Humfridus Kirkepatrike, Johannes Stragy et Patricius Heringe milites. Præter hos etiam in venatione fugientium multos occiderunt insequentes, sed non plurium quam illorum togæ fuerunt de campo principali reportatæ, ut numero togarum numerus et nomina occisorum innotescerent.

Dum hæc in Anglia geruntur, rex Angliæ institit obsidioni villæ de Caloys, quæ in marisco d'Artoys situata, gemino muro duplicique fossa circumcincta, super littus maris Anglici, respicit ex opposito turrim Dovorïæ, habens portum, minas ponti sua spernens securitate, ubi navibus præbet hospitium satis securum. Hoc oppidum cum suo castro munitissimo, quondam Romanorum potentia struxit. Postquam nempe Julius Cæsar totam Galliam subjugavit, Calesiam in Artosia et castrum de Chapstowe in Venedocia, atque turrim Dovorïæ in Loegria, subjugata Britannia ædificavit. Dominus rex suo exercitu fossas amplas circumduxit et classem portui Calesii præfecit, ne vel in suos Gallici irruerent, aut obsessis victualia per mare ministrarent. Tamen rex ad obsidendam villam, magnum navigium in mari detinuit nec abesse permisit. Normanni piratæ ceperunt suc-

cessive 15 naves magnas cum parvis, quarum alias abduxerunt suis usibus, cæteras ignibus consumpserunt. Capiebantur in mari dominus Edmundus Haclut, et dominus Willelmus de Bortone milites, versus Angliam navigando. Itaque obsidione confirmata, rex insultus noluit inferre, sciens cum altis muris et fossis non sine periculo hominem posse dimicare, sed nec voluit contra villam machinas erigere, ut sicut alibi fieri solet officio parariorum muri conquassati et obruti meabiles redderentur; nempe defuit fundamentum in quo machinas collocaret. Præterea muris eorum obrutis, adhuc fossæ profundæ aquis marinis quotidie inundatæ contra totum mundum poterant defendi cum facilitate. Veruntamen obsessi timentes per machinas muros eorum posse lædi, crates et saccos plenos paleis paraverunt, quibus ictus lapidum a machinis emissorum, fuissent delusi; scientes eos lapides remissius lædere quos objectum mollius recipit projectos. Ergo ab insultibus atque murorum conquassatione rex abstinuit, cogitans consulte quod fames, quæ foribus clausis ingreditur, posset et deberet obsessorum superbiam domare. Ab arido ad mare profundum ex ea parte contra Bolonienses solebant Calesienses victualiare non navibus in profundo viis prohibito, sed super arenam mare expanso, superficialiter batellas replentes victualibus, Norhamptone fecit paleatam sepem seu palicium

prohibitorium hujusmodi scapharum ne accederent, et postmodum amirallo Francorum volenti cum navigio guerrario Anglicis navibus insultare, ut modo tempore scaphæ victularent obsessam Calesiam, comes Norhamptonæ obvius ipsum potenter fugavit. Taliter a festo Nativitatis sanctæ Mariæ, per totam hiemem et magnam partem æstatis sequentis, obsidione invalescente, die Lunæ proxima ante festum sancti Jacobi, tyrannus Francorum advenit castrum de Gynes, cum Johanne suo primogenito et filio regis Bohemiæ. Postea imperator Romanorum promittens cum juramento quod obsidionem guerra seu pace amoveret, aut Anglicis invitis, obsessos victualiaret, tandem appropriavit cum exercitu vix per unum milliare distans a potentia Anglicorum, et petito per nuntios tractatu pacis, emisit ducem Datenes et comitem de Burbone et d'Armenak, qui cum duce Lancastriæ et comitibus Norhamptonæ et Huntingdonæ de treugis tractantes, non potuerunt assensum Anglicorum obtinere, unde post guerraria hastiludia, partes utræque ad sua tentoria sunt reversæ. Die secunda obtulit tyrannus diem præliandi quam rex Angliæ libenter suscepit. Obsessi interea per signa suum statum tyranno Francorum fecerunt manifestum, in post nempe adventum tyranni, erexerunt ejus vexillum super turrim principalem castri, alias quoque tres vexillas ducum et comitum de Francia ornaverunt, et

paulo post crepusculum flammam ignis clarissimam cum ingenti pompa clamantium atque tubarum, tympanorum quoque et lituorum, versus exercitum Gallicorum de eminentiori turri levaverunt per medium unius horæ durantem. Secunda nocte flammam consimiliter, sed priori paulo parciorem, cum tumultu mediocri porrexerunt. Tertia vero nocte flammam valde tenuem et vix a Gallicis perceptibilem cum voce lugubri et humiliter submissa, quasi per unam horam porrectam, in fossam castris cadere permiserunt, per hæc significantes suam potentiam ad conservationem villæ fuisse finitam, et eadem nocte omnia vexilla præter stationardum recolligerunt vel pompaticæ de cætero prætenso. Tandem appropriavit dies bellicus, quem de Anglia et lingua Teutonica in subsidium regis congressorum decem et septem milia virorum prævenerunt, unde secunda die mensis Augusti, tyrannus Francorum videns potentiam regis auctam, in aurora diei sua tentoriâ ignibus depascens, signo proinde funesto obsessis dato quod non auderet ipsis succurrere, vecorditer aufugit, cujus posteriora mactando et capiendo dux Lancastriæ et comes Norhamptonæ præciderunt. Turpi fuga tyranni Francorum Calisiensibus obsessis comperta, ejus stationardum cum ingenti luctu de turri in foveam projecerunt, et sabbato sequenti, illorum capitaneus, in bellica praxici miles multum eruditus, vocatus Joannes de

Vienna, januis apertis insidebat parvo rancino, impos præ gutta pedes incedere, collum chorda constrictus, venit coram rege, quem alii milites et burgenses, pedites nudi capita et discalciati, funes ad colla etiam habentes, sequebantur. Capitaneus itaque obtulit regi spatam guerrariam, tanquam inter omnes Christianos præliorum principi præcipuo, et qui contra maximum regem Christianorum illam villam cum omni decentia militari conquisivit potenter. Secundo sibi tradidit claves villæ, tertio, appellans regiam pietatem, atque poscens misericordiam, protulit regi gladium pacis, quo sententias rectas adjudicaret atque parceret subjectis, et superbos castigaret. Oblata receptans, ipsum capitaneum et quindecim milites, totidemque burgenses pietas regalis misit in Angliam, largis eos ditans muneribus atque libertate quo vellent eundi eis concessa, populares etiam repertos in villa piis elemosynis regis refectos, jussit usque versus castrum de Gynes indemnes conduci. Post captionem villæ milites ex regis imperio ceperunt maneria de Merke, et de Hoye, et in illis cum magna difficultate ædificaverunt fortalicia, positis secundum ordinem, ubi nunc sunt muri, in circuitu doleis vino vacuatis sed lapidibus repletis, ut starent pro muro contra hostes, castellanis ad intra murorum ædificationi incumbentibus.

ANNO Domini 1347, Edwardi regis An-

gliæ anno regni 21, rege modo præscripto obsidioni Calesii incumbente, prædones in Anglia nullum timendum æstimantes, licentius solito suas nequitas exercuerunt, unde iusticiarii tam prædones, quam alios pacis perturbatores, tanquam proditores regis et regni punierunt, non plus clerico quam laico parcentes, imposito cuilibet tali facinoroso, ipsum in caput regium et regni prodicionem in favorem Francorum fuisse perversum. Eodem tempore post Calesii captionem incepit illis in partibus illa generalis pestilentia a partibus orientis successive defluxa, unde in qualibet parte mundi magna multitudo hominum utriusque sexus viam universæ carnis ingrediebatur, sicut infra plenius dicitur. Tanta pestilentia occasionem ministrante, missi cardinales ex parte Gallicorum petierunt treugas a captionem Calesii usque ad festum sancti Barnabæ proxime futurum duraturas. Præfatæ petitioni rege consensum præbente, ordinantur treugæ per prædictos cardinales, atque comitem de Eu et dominum de Tankerville prisionarios, sub forma in Gallico quidem dictata, sed in Latinum mei ministerio sic translata.

Memorandum, quod treugæ inter duos reges sunt initæ pro seipsis et eorum subjectis, et eorum coadjutoribus, et eis adhærentibus, et pro tota patria ab eis inculta, ita quod omnes capitanei prædictæ guerræ sint obligati et iurati in speciali ad treugas tenendas. Treugæ

istæ in itæ specialiter ex parte pro rege Angliæ comprehendant totam Flandriam et terram de La Bene, et villam Calesii et dominium de Merke et de Oye cum territoriis eis pertinentibus, per cardinales et dominos utriusque concilii limitandos. Item in treugis sint comprehensa omnia quæ rex Angliæ et sui subditi sibi que coadjuvantes et adhærentes tenent in Gasconia, in Peragors, Limosin, Caorsen, Ageneys, Peyton, Sentoinge, et tangunt ducatum Gyennæ. Item omnia eorum vel ab eis detenta in Britannia et Burgundia, et omnia alia ubicumque situata, et omnia villæ prædia, castra et catalla, quorum impræsentiarum habuit possessiones. Item securi sint per dictas treugas rex Castellæ, dux Brabantia, dux Gelriæ, et marchio Juliacensis, dominus Joannes de Chalons Burgundinensis, comes de Novocastro, dominus de Facony, vicecomes de Usint, dominus Joannes d'Aspremont, dominus Robertus de Nemurs, dominus Henricus de Flaundes, et populus Flandriæ, et patria de la Bene, et gens Hannoniæ. Item dominus de Libreto in Gasconia. Item heres domini Joannis de Britannia, Nadgeres comes de Montford, et dux Britannia, domina de Clissoun, dominus Radulphus de Cours, etiam Januenses, et omnes alii subditi, affines, coadjutores, et adhærentes domino regi Angliæ, cujuscumque conditionis seu nationis extiterunt. Ex adverso pro parte regis Franciæ, comprehensi sint per treugas securitandi.



omnes Scoti et tota patria Scotiæ. Item reges Hispaniæ, Bohemiæ, et Arragoniæ. Item ducēs Brabantiæ et Gelriæ, et ducissa Lotoringiæ cum filiis suis, et comitissa de Bar cum pueris suis. Item dominus Joannes de Henaud et patria Hanegowdiæ, comes de Nemurs, dominus Ludowicus de Nemurs, episcopus de Lieges, Januenses, et omnes alii coadjutores, affines, et adhærentes prædicto regi Francorum. Præterea, comes Flandriæ specialiter sit obligatus per sacramentum juramenti, ad tenendum treugas istas, et earum omnia puncta, et quod nec per illum nec aliquem alium nomine suo suscitabitur guerra contra Flandriam seu Flandrenses pro tempore treugarum. Item omnes proceres et capitanei guerræ Britanniæ ex utraque parte sint jurati ad tenendum treugas istas. Item neuter regum pro tempore treugarum intrabit hostiliter alterius terram, nec comes Flandrensis terram Flandriæ. Item neque rex Franciæ nec aliquis alius nomine suo habebit tractatum occultum seu manifestum cum Flandrensibus, vel aliquo istorum in irruptionem seu contrariationem, seu aliquod præjudicium submissionis et conventionis, quibus regi Angliæ se submiserunt, sed nec cum aliquo alio regi Angliæ confœderato. Item ex parte regis Angliæ erit proximus præcedens articulus observatus, quoad omnes amicos regis Franciæ seu sibi quovis modo confœderatos. Item quod nulla novitas

nec aliqua mala præsumptio sit facta ex alterutra parte, durantibus treugis. Item quod banniti et fugitivi a Flandria et patria de La Bene, qui regi Franciæ adhæserunt, obstineant ab ingressu prædictarum terrarum, sub periculo pœnarum talibus transgressoribus infringendarum. Item nullus obediens alteri duorum regum deveniat obediens alteri eorum, cui non obediebat in tempore captionis istarum treugarum. Item quod nullus alterutri regum subjectus contra alterius regis subjectum moveat guerram, sed uterque regum suos subditos teneatur arctare, ne huiusmodi guerram aliquis illorum pro quacumque causa suscitare præsumat. Item quod omnes mercatores, etiam omnes subditi, coadjutores, affines, seu quomodo-cumque pertinentes uni parti vel alteri duorum regum, et specialiter nominati Anglici et Flandrensium, cum eorum mercimoniis, tam per mare quam per terram, seu terras et maria possint libere et sine qualibet calumnia per omnes terras initis treugis comprehensas itinerare et perendinare, sicut solebant in aliorum regum temporibus, pace inter regna custodita, dummodo tamen solvant secundum antiquas debitas consuetudines, et tales duntaxat novas impositas, quales indigenæ fideles solvere tenentur. Attamen excipiuntur ab ista libertate omnes banniti pro aliqua causa, personæ eorundem ducatum, pro quacumque fuerint causa banniti, gaudeant libertate et immuni-

tate in isto articulo comprehensi. Item quod omnes articuli tangentes mercatores et eorum pacem, sint Parisiis et in aliis bonis villis Franciæ proclamati. Item nullus duorum regum procurabit per se vel per alium, seu procurari permittet gratis, quod per curiam Romanam aliqua molestatio seu censura ecclesiastica contra statum seu quietem alicujus duorum regum vel suorum amicorum, ratione guerræ vel alterius causæ, sit innovata, sed omnem talem sine mala ingeminatione pro suo posse reges facient impediri. Item omnes obsidiones per potentiam cujuscumque subditorum duorum regum in Gasconia seu Gyenna, vel Britannia, seu Pictavia, aut in insulis marinis congestæ, vel ubicumque immediate post publicationem istarum treugarum erunt solutæ. Item quod si castrum vel villa vel fortalitium, homines aut alia quæcunque bona mobilia seu immobilia fuerunt capta, post confirmationem istarum treugarum, quamvis non publicatarum, sint tamen in integrum statum restituta, in quo fuerant die confirmationis istarum treugarum. Item justitia fiat cuilibet volenti conqueri de lapsu seu fuga seu fide mentita cujuscumque captivi, et ad hoc sint iudices specialiter deputati. Item quod cuilibet volenti redemptionem suam solvere aut ab aliquo debitum exigere, seu de alio proponere querelam, assignetur salvus conductus et securus. Item quod treugæ sint confirmatæ quoad Scotos et eorum

marchias, quas tamen treugas Scoti si voluerint, poterint infringere, nec minus tamen inter reges et alios in eis comprehensos erunt observatæ. Item ad intemeratam custodiam istarum treugarum, sint iudices specialiter deputati, per quos vel per reges sit præcautum, quod si aliquod contrarium istis treugis per aliquem fuerit attentatum, ad statum debitum treugæ sint reformatæ, nec propter aliquid eis contrarium factum sint fractæ ipsæ, articulis tamen Scotiam tangentibus suo robore permansuris. Item iudices assignati ad reformationem violationis istarum treugarum, si aliquam fieri contingat, ipsam in locis ad hoc maxime opportunis, et ex assensu partium electis studeant resarcire. Cæterum in causis istarum treugarum firmitatem concernentibus, sint iudices constituti, constabularius et marescallus Angliæ, et comes Lancastriæ, et dominus Bartholomæus de Bourghasch, ex parte regis Angliæ. Item constabularius et marescallus Franciæ et comes Dattoens, et dominus Galfridus de Charny, ex parte regis Franciæ. Insuper est ordinatum, quod treugæ istæ sint publice proclamatæ in Gasconia et Britannia, infra diem vicesimum, et in Scotia infra diem tricesimum a die confirmationis earundem treugarum, ipsis usque ad festum sancti Barnabæ apostoli proximum sequens duntaxat valituris.

Sub hac igitur forma treugis inter regna

confirmatis, quippe generali pestilentia urgente necessariis, rex ædificavit turrim inter mare et portum Calesii, ad prohibitionem insultus navalis per inimicos, et præfecit capitaneum civitati dominum Joannem de Montgomery, et deinde adducens reginam et suum primogenitum, aliquam quoque magnam procerum multitudinem, versus Angliam suum navigium destinavit. In mari tantam revertendo passus est auræ intemperiem, quod multæ naves ex suis perierunt, et ipse rex cum maximo periculo reversus est, Londoniam applicatus quarteodecimo die Octobris.

Anno Christi 1348, regis anno 22, domino rege in Angliam reverso, adducti sunt ad turrim Londoniæ David rex Scotorum et dominus Carolus de Bloys, ad Pascham, nuper in Britannia post magnos et periculosos conflictus, per dominum Thomam Dagworthe captus, qui postea per multos annos manserunt in Anglia redimendi. Item dominus Jacobus Douglas in bello Dunelmi captus, Londoniam cum rege Scotorum adductus, rediit ad pacem regis, jurata sibi fidelitate, quem postea in Marchiam pacifice reversum Willelmus Dowglas venationi invitatum proditiose equitans a tergo interfecit. Isto anno post Pascham rex tenuit concilium, ubi contra ministros suæ familiæ ordinavit, quod si ab aliquo invito caperent victualia sine solutione pecuniæ, incontinenti talis minister aut supplicio finali puniretur,

aut domum regiam abjuraret, constituto domino Ricardo Talbot senescallo domus, et edicti præfati exequutore. Ad prædictum concilium venit pacifice ex parte Edwardi Baliol regis Scotiæ per conquestum, abbas de Donfermelyn. Venerunt etiam episcopus de Moref et episcopus Glascuensis et duo milites, offerentes redemptionem pro David rege Scottorum capto, quibus fuit responsum, ipsum David non fuisse jure militari redimendum, pro eo quod non fuit captus sicut justus bellator, qui nullum jus habuit in regnum Angliæ, sed sicut truculentus prædo qui universa quæ tetigit vastavit ignibus et ferro, et ideo, ut fuit subjunctum, oportuit ipsum gratiæ regis Angliæ submissum, omnia per ipsum destructa reparare, ut sic posset gratiam suæ redemptionis in conspectu regio reperire. Ab ipsis etiam nuntiis quærebatur, utrum de finali pace volebant tractare; sed respondebant eis commissam potestatem ad tractatum pacis non extendi. Ibidem coram domino Willelmo Trussel fuit comes de Mentey positus ratio: cinio, et convictus quod contra fidelitatem et homagium juratum regi Angliæ, iterum contra eundem suum dominum regem armatus militavit, et ob hoc tractus et suspensus, in quarteria fuerat divisus. Ad idem concilium accesserunt duo comites et duo clerici missi a gremio electorum regis Alemanniæ, nuntiantes regi suam passivam electionem ad regiam dig-

nitatem Alemanniæ. Illos nuntios cum honore competenti et gratiis receptos, munificentia regalis benigne respexit, et eis respondit, se nolle tanto oneri humeros submittere, quousque suam coronam regiam Franciæ jure hereditario sibi debitam pacifice possideret.

Eodem anno post Pascha, fuerunt apud Lincolniam per comitem Lancastriæ, postea ducem, hastiludia solemnia celebrata, quibus interfuit plurima dominarum comitiva, et nuntii regis Hispaniæ venerunt pro filia regis domina Joanna, filio domini sui regis desponsanda, quæ apud Burdegalim in magna pestilentia, de qua infra dicetur, viam universæ carnis ingressa, adveniente sponso ei obviam solemniter sed lacrimosæ committebatur sepulturæ. Tanta puellam pulcritudo corporalis atque abundantia virtutum moralium tam gratiosam cunctis reddiderunt, quod ipsam obeuntem dolor suorum ministrorum compulit ipsos itinere mortis sequi suam dominam. Isto anno magister Johannes Stretforde archiepiscopus Cantuariensis, 23 die Augusti obiit, et 19 die Septembris fuit Cantuariæ traditus sepulturæ. Postea fuit electus in archiepiscopum magister Thomas Bradewardin doctor in theologia, sed provisione papæ fuit ad illam dignitatem ordinatus magister Johannes Ufforde, regis cancellarius, qui non consecratus moriebatur. Deinde anno sequenti præfatus magister Thomas Bradewar-

din iterum electus, fuit in curia Romana consecratus, et eodem anno mortuus. Isto anno post festum sancti Martini, convenerunt apud Calesiam episcopus Norwicensis, comes Lancastriæ, comes Suthfolchiæ, et dominus Walterus Magne ex parte Anglorum. Item episcopus Lugdunensis, dux de Burbone et dux Dattenes et comes de Gynes et dominus de Tankerville et dominus Galfridus de Charny ex parte Francorum, pro treugis renovandis, quibus noluit comes Lancastriæ assentire, quousque duo fortalicia Calesiæ nociva, et contra formam pristinorum treugarum ædificata, fuerant diruta, quo facto, renovatæ sunt treugæ usque ad primum diem Decembris anni proximo futuri duraturæ. Eodem quoque anno dominus et primogenitus ejus et comes de Warewike et episcopus Wintoniæ advenerunt Calesiam, unde rex misit comitem Lancastriæ ad Dovemere, recepturum ibidem ex parte sua fidelitatem et homagium de comite Flandriæ cum sacramento jusjurandi, quod et factum fuit. Missi quoque fuerunt nuntii Bononiam, ad tractandum ibidem cum concilio Francorum, quod ante illorum adventum secessit in Franciam, unde literas confectas tyrannoque Francorum directas tradidit rex Roberto Herle, et Thomæ de Verdoun militibus, prædicto tyranno deferendas, in quibus rex petiit diem ad præliandum sibi assignari in casu quo non posset pax finaliter inter ipsos



reformari. Prædictos nuntios regales non permisit tyrannus sibi accedere, sed infecto negotio pro quo venerant, jussit eos regnum suum exire.

Anno Christi 1349, regni regis anno 23, ab oriente Indorum et Turcorum repens pestilentia generalis, medium nostri habitabilis, inficiens, Saracenos, Turcos, Siracos, Palestinos, et demum Græcos depopulavit tanta strage, quod terrore compulsi, fidem atque sacramenta Christi recipere consulti dijudicabant, audientes quod Christianos cis mare Græcum mors non terruit crebrius aut magis repente consueto. Tandem ad partes transalpinas et abhinc ad Gallias Hesperias et Teutonicas sæva clades successive devoluta, anno septimo suæ inchoationis ad Angliam devenit, primo quidem portus maris in Dorsetia et rursus patriam suis incolis privavit fere, et abhinc Devoniam aut Somersetiam usque Bristolle ita desævit, quod Glovernienses illis de Bristolle ad suas partes denegarunt accessus, quolibet putante anhelitus viventium inter sic morientes fuisse infectivos, sed tandem Gloverniam, immo Oxoniam atque Londoniam, et finaliter totam Angliam tam violenter invasit, quod vix decimus utriusque sexus superfuerat. Cœmeteriis non sufficientibus, campi eligebantur mortuorum sepulturæ. Episcopus Londoniensis emit illam croftam Nomanneslond vocatam, et dominus Walterus de Magne illam quæ vocatur Yenewe

cherche hawe, ubi fundavit domum religiosorum ad sepeliendum morientes. Placita in bancis regio et communi, necessario cessavere. Pauci proceres moriebantur, de quibus erant dominus Johannes de Montgomery, et domina de Clisteles capitaneus Calesiæ, in Calesia mortui, et apud fratres beatæ Mariæ de Carmelo Londoniæ sepulti. Vulgus innumerum, et religiosorum, atque aliorum clericorum multitudo soli Deo nota, migravere. Juvenes et fortes potissime illa clades involvit, vetulis et languidis communiter pepercit. Vix aliquis infirmum ausus est contingere, relicta mortuorum quondam et nunc pretiosa, tanquam infectiva sani fugiebant. Uno die lætissimi, in crastino defuncti reperiebantur. Torserunt illos apostemata e diversis partibus corporis subito irrupentia tam dura et sicca, quod ab illis decisis vix liquor emanavit, a quibus multi per incisionem aut per longam patientiam evaserunt. Alii habuerunt pustulos parvos nigros per totam corporis cutem conspersos, a quibus paucissimi, immo vix aliqui vitæ et sanati resilierunt. Tanta pestilentia, quæ in festo assumptionis virginis gloriosæ Bristolle, et circa festum sancti Michaelis apud Londoniam inchoavit, per annum integrum et amplius in Angliam desævit, ita ut multas villas rurales penitus ab omni individuo humanæ speciei evacuaret. Angliam tanta clade vastante, Scoti gavisii putabant illos omni suo

voto contra Anglicos potituros, qui blasphemando solebant pro tunc per vilem Anglorum mortem lascive dejerare, sed extrema gaudii luctus occupans, ab Anglois recedens gladius iræ Dei, Scotis in furorem et per lepram, nec minus quam Anglicos per apostemata et pustulos mactavit, sed anno sequenti Wallicos etiam una cum Anglois vastavit, et tandem ad Hiberniam quasi velificans, Anglicos ibidem habitantes in magno numero prostravit, sed puros Hibernicos in montibus et superioribus partibus degentes fere non tetigit, usque ad annum Christi 1357, quo inopinate ipsos passim et terribiliter delevit. Isto anno pro treugis renovandis seu pace finali reformanda, transfretarunt episcopus Norwicensis, comes Norhamtoniæ, comes Staffordiæ, Ricardus Talbot, Walterus Magne, milites, quibus Gallici pacifice occurrerunt, sed noluerunt alicui paci finali assentire, nisi Calesia fuisset eis restituta, quæ fuit eis denegata, et treugæ per annum duraturæ fuerant continuatæ. Cæterum comes Flandriæ, quem Flandrenses noluerunt aliter recipere, nisi, tyranno Francorum abrenuntiato, regi Angliæ fidelitatem et homagium, antea sub juramento solemniter promissa, vellet exhibere, plenarie submitit se regi Angliæ ad tenendum de illo comitatu Flandriæ cum fidei servitute suo legali domino exhibenda, nunquam tamen post illum diem fidelitatem juratam servavit integraliter, non mul-

tum enim postea cum potentia Francorum Flandriam invasit, destruens, occidens, villas et universa ignibus depascens, quæ potuit cremare. Sed ejus tyrannidi populares cum paucis Anglicis custodiæ castrorum deputatis præstiterunt acrem resistentiam, in qua plurimis Francigenis occisis, comitem retrocedere compulerunt ad fugam. In illo congressu multi fuerunt milites dotati, ex quibus erat dominus Johannes de Filebert Anglicus, honore militari decoratus. Interea ad festum Nativitatis sancti Joannis in purificatione reginæ apud Windesore fuerunt solemnia hastiludia, quibus interfuerunt David rex Scotorum, comes de Eu, dominus de Tankerville, dominus Carolus de Valesio, et alii alienigenæ multi captivi, et de licentia regis suorumque magistrorum hastiludiabant, ubi favorabiliter gratia campi D. comiti de Eu fuerat adjudicata. Postea tempore adipis ferini, iidem captivi cum domino rege apud Clarendone et in aliis forestis cum aliis etiam regni proceribus jucundo studio venationis se dedere. Rege talibus intendente, Gallici intrarunt marchiam Britanniæ et non obstantibus treugis generalibus, circa castrum . . . . inboscati sub ducatu Radulphi de Caux militis, sed filii sabatoris, cum paucis publice prædas captientes, dominum Thomam Dagworthe militem probatissimum et ducatus capitaneum, ad resuscitationem patriæ provocarunt, qui cum

sedecim armatis duntaxat prædonibus accurrens, ab imboscatibus subito circumvallatus, multos et, ut retulerunt de castro speculantes, amplius quam trecentos cum suis constanter sibi adstantibus effudit, tandem post quinque quarellos in facie nuda fixos a balistis, nolens se reddere filio sabatoris, sed omnibus suis prostratis, cum lancea grossa oculis privatus, hostes aut occidit aut vulneravit, aut accedere diu non permittens, fasce armatorum finaliter obrutus, a corpore gladio confosso, nobilis anima indignata recessit. Cum defensoribus et auctoribus rei publicæ numerati erant ibidem Gallicorum amplius quingentis armatorum et ballistariorum numerus ignotus. Sagittariis Thomæ fuerat via in auxilium sui domini cautelose præclusa, unde lethi januas ille magnanimus fuerat ingressus, qui contra Francos innumeros præliis diversis triumphavit, atque sua morte Anglicis omnibus ægrum dolorem et Gallicis gaudium magnum præstavit, sed non omnibus; erat enim hostibus de facto terribilis, sed morum generositate tam captos quam fugatos et liberos in sui amorem et compassionem mortis tam indignæ quam animosæ conciliavit. Sed filius sutoris triumpho gavisus, unde magnus princeps vix dignus fuisset, invidiam Francorum et odium omnium militum bonorum sibi cumulavit. Nec minus Gallici cum comite Flandriæ treugas verebantur violare, nempe comes præfatus cum duce Braban-

tiae et aliis plurimis de regno Franciæ, exercitu congregato, iterum circa festum sancti Michaelis Flandriam invasit, et per falsos Flandrenses sibi consentaneos Bruges ingressus, magnam multitudinem fidelium regis Angliæ domini sui catervatim in eorum domibus et plateis trucidavit, et misit illis de Ypro et Gandavo et aliis villis, petens, immo jubens illas ei reddi, quarum incolæ, acceptis induciis, scripserunt regi Angliæ, quod eis succurreret, aut eos oporteret comitis dominio et tyranni Francorum se submittere, et ideo circa festum Omnium Sanctorum rex, comitantibus comitibus Lancastriæ et Suthfolchiæ et aliis, in Flandriam transfretavit, et versus Franciam suos duxit, unde renovatis treugis inter ipsum et Gallicos, comes Flandriæ jam tertio regiæ clementiæ et dominio se submitit. Deinde ad solemnitatem Translationis sancti Thomæ confessoris, et episcopi Herefordensis, rex in Angliam reversus, sua et aliorum procerum regni devota præsentia solemnizavit egregium festum convivantium in honorem prædicti almi confessoris celebratum, ad largifluas expensas Nicolai de Cantilupo baronis, cognati ipsius sancti Thomæ. Instante præfata solemnitatem, nuntiatum est regi per secretarios Emerici de Padua, militis stipendiarii, quod quartadecima die mensis Januarii forent in Calesiam recipiendi Galfridus de Charny miles et alii Gallici in magno numero, quibus Cale-

sia per prædictum Emericum fuerat vendita, sed per regem gratiose rescutata tali processu. Prædictus Emericus Paduensis inter cæteros Januenses morabatur in Calesia obsessa, ad stipendia tyranni Francorum contra regem obsidentem, sed sibi et cæteris post villæ deditio- nem concessa gratia vitæ et membrorum, atque libertatis militaris, de cætero mansit cum rege stipendiarius, ad ejusdem Calesiæ tuitionem. Erat pro tunc Galfridus dominus de Matas miles plusquam aliquis Gallicus, ut fama ventilavit, in re militari exercitatus, atque cum longa experientia armorum, naturæ vivacis sagacitate excellenter dotatus, et ideo Franciæ tyrannorum usque ad suum interitum et coronati Francorum captionem in prælio Pictavensi, conciliarius principalis. Iste facinorum calidissimus machinator, fidem præfati Emerici literis sibi evocati, auri donis et sophisticis promissis conatus pervertere, finaliter cum falso cupidus convenit, quod pro millibus scutatorum aureorum, per turrim, cui Emericus præficietur, facilem introitum Gallicis in villam reperiret, atque ad villæ et castris tuitionem quatenus posset adjuvaret. Pactum itaque proditiosum quantumcunque per juramentum et communionem sacramenti altaris utriusque confirmatum, attamen ut plenum versuta calliditate et fide inventa pessime fuerat nuntiatum. Equidem non jam *Iliacos* i. e. Calesios *muros extra peccatur et intra*, nam

Gallicos treugæ adhuc durantes piæ conscientiæ legibus prohibuissent ob omni circumventione publica vel occulta, quâ pacificæ possessioni regis Angliæ, quoad prædictam villam, poterant derogasse. Etiam præfatum Emericum reverentia fidei militaris terruisset ab omni proditione et inhonesta, non etiam servanda sponsione, quum de jure sit hosti servanda fides, sed ipse nec hosti fidem servavit nec regi terreno, aliter quam dubie militavit et inferno principi impiissime servivit, quando corpus Salvatoris in testimonium suæ versutæ conventionis fallaciter invocavit, et insuper communionem calicis recepit. Scripsit tamen regi literas de toto negotio vel occultans itaque paratus ad Gallicorum amicitiam, si ipsi expedivissent, et in regis benevolentiam, casu quo Gallici a proposito frustrati fuissent convicti de fractione treugarum, et insuper forte multi redimendi caperentur. Sed ita contingebat. Proinde rex sollicitus de custodia villæ, quam non modico labore sed obsidione antea subegit, celeriter transfretans, ipsum comitantibus suo primogenito principe Walliæ et comite de Marchia, aliis quoque paucis, diem peremptorium proditionis per dies prævenit. Igitur profectus Calesiam, disposuit pro Francis cautelosam receptionem. Nempe sub fornicibus intra proccinem seu portam collectam et valvas januarum castris milites locavit, murum tenuem eis anteponeus de novo fabrica-



tum, non cæmentatum sed fictum, et residuo muro continualem in superficie levigatum, et ita sophisticè operi antiquo effigiatum, quod nescius cautelæ aliquem ibi inclusum non posset suspicari faciliter. Item grossus merenium pontis versatilis cum sera fecit fere præscindi, ita tamen quod equites armati possent super ipsum equitare. Ad hoc in quodam foramine in facie turris ponti supereminentis quondam arcuato opere confecto, grande saxum prudenter collocavit, et cum illo militem bonæ fidei occultatum, qui tempore congruo per ruinam saxi pontem frangeret. Semicæsum erat deinde illud foramen ita prudenter superficie tenus obduratum, quod opus novum pars antiqui appareret, et inclusus posset omnes intrantes visu numerare. Istis infieri se habentibus valde paucis, innotuit regis aut principis Walliæ præsentia, qui confectis prædictis, in villam secrete se receperunt. Igitur pridie peremptoriæ diei, Galfridus de Charny misit quindecim suos fideles, cum magna parte auri proditionis, exploraturos fidem Emerici, et castri dispositionem, qui circumquaque, quamlibet turrim et angulum opertum visitantes, nihil suis votis contrarium perceperunt, unde in crastino fixerunt stationardum regni Francorum in eminentiori turri castelli, et vexilla Galfridi, aliorum quoque dominorum, super alios turres locaverunt. Proinde populares de villæ custodia quos latuit faci-

nus, tantus terror agitavit, quod ad arma con-  
volantes insultum disponebant in castrum fes-  
tinare. Confestim Gallici pridie ingressi, do-  
minum Thomam de Kingestone nescium faci-  
norum se fingentem violenter ceperunt, et in  
bogligneis captivarunt. Deinde quidam ex  
illis emissi ad Francos suos dominos extra  
munitionem imboscatos, ostenderunt statio-  
nardum et erecta vexilla, cætera prospera  
compromittentes, si tamen festinarent ad  
defensionem castrum contra villanos. Igitur  
surgentes de latibulis, cum pompa solita et  
innata genti Gallicorum, portas castrum irrupe-  
runt Franci copiose. Tunc villani vix manus  
ab insultu continuerunt, ipsos tamen ducibus  
eorum retrahentibus quasi periculum insilien-  
tium diffugitivis, statim fideles regis amici qui  
sub armatis murorum latibulis instar anacho-  
ritarum fuerant inclusi, trium dierum longam  
moram fastidientes, se repararant ad irrupti-  
onem. Nec minus ille qui cum saxo grandi  
fuit in foramine nuper inclusus, postquam vi-  
dit tot ingressos ad quorum debellationem  
æstimabat suos consentaneos sufficienter po-  
tuisse, molarem illis ingentem sibi commis-  
sum direxit ruinæ, quo pons versatilis rum-  
pebatur, et via fuerat præclusa per quam  
hostes fuerant nimium ingressuri, atque se-  
mel ingressi, non poterant per illud iter eva-  
dere. Saxum prædictum supplevit quo modo  
vices proccinis ruituri, quod in principio fuit

ab officio debito suspensum atque Gallicis traditum tutelæ, in illorum delusoriam assecurationem. Ad strepitum saxi et pontis fracti armati anachoritæ, depulso muro fictili eos occultante apostatarunt, et ad suum ordinem milites Francigenas coegerunt dira salutatione invitatos. Insultus acerrimus quamdiu duravit, sed tandem devicti hostes suppliciter victorum voluntati se commiserunt. Extranei qui non intrarunt, statim postquam perceperunt suorum delusionem, terga verterunt, quos dominus rex cum paucioribus quam sedecim armatis et totidem sagittariis ipsum vocantem, sed tamen ignotum comitantibus, fugitivos laccessit, multos prostravit, et in parvo tempore valde periculosos labores superavit. Cognita demum insequentium paucitate, octoginta viri armatorum contra regem se religarunt. Non audeo sapientiæ nec discretæ militiæ, sed magnanimitati regis ascribere illam suam in hostes persecutionem, quamvis bene in tanto periculo ipsum constet rem gessisse, et gratia Dei ipsum præservantis, honorem ventilationis reportasse. Ubi nempe vidit Francos religatos, abjecit gladii vaginam et suos confortans, atque ipsorum stationes disponens, ad viriliter agendum provocavit. Sagittarii etiam in marisco a lateribus armatorum constiterunt in siccis monticulis et limosis paludibus circumvallati, ne graviter armati equites aut pedites ipsos fuissent insequuti, quin potius submersi

in bitumen illos etiam rex confortans, et ad sui pietatem decenti alliciens blanditia, sic affatur: "Bene facite" inquit, "arcitenentes, et scitote quod ego sum Edwardus de Wind-sore." Cognitis tunc primum regis præsentia, et necessitate benefaciendi, sagittarii nudantes sua capita, brachia et pectora, omni sua virtute sagittis non perdendis incubuere, et Gallicos appropiantes acutis sagittis salutatos acriter valde receperunt. Armati steterunt ex utraque parte super longum et arctum pavimentum, in cujus latitudine vix viginti armati possent frontaliter constipari, habentes ex utroque latere mariscum armatis invium, in quo steterunt sagittarii securi suos nihil impediens, et hostes a lateribus sagittarum grandine confodientes. Siquidem rex et sui ex adverso, atque sagittarii ex transverso occiderunt, captivarunt, et quamdiu viriliter resistentes tandem adventu principis Walliæ Gallicos in fugam compulerunt. Post longam in hostes venationem, Calesiam reversi numerarunt fugatos et captos, et invenerunt quod pro castris captione secundum relationem captivorum, accesserunt mille viri armorum et sexcenti armati, sed numerus servientium tria millia excedebat. Ex his fuerunt capti dominus Galfridus de Charny et filius ejus strenuus in armis Edwardus de Renti, quondam serviens domini regis in officio clavarii, sed miles et tyranni Francorum stipendiarius.

Item dominus Robertus de Banguilo, Otto de Gule baro de Martingraham, Baldewinus Saily, Henricus de Prees, Garvius Baillof, Petrus Rynel, Petrus D'Argemole, Eustachius de Ripplemont, et alii multi milites et domicelli fugati fuerunt cum suis vexillis, dominus de Mountmarissi, item Laundas, qui desponsavit dominam de Seint Pool, comitissam Pembrochiæ in Anglia. Item domini de Fenes, dominus de Planke, et alius Eustachius de Ripplemont. Occisi fuerunt in prælio dominus Henricus de Boys et dominus Archeband, et multi alii, de quorum notitia non curarunt victores. Sic proditiose contra formam treugarum facinus ingeniatum, ejus auctores detraxit in cladem; primo Galfridum per sui et amicorum suorum captionem, auri multi perditionem, nobilium virorum occisionem, ducum magnanimorum fugationem, et totius falsæ machinationis finalem frustrationem; sed nec Emericus evasit laqueum periclitationis, immo postea captus inter Gallicos ferro ignito vivus perustus, a militari ordine per talorum amputationem degradatus, lingua privatus per abscissionem, postea suspensus, demum decapitatus, et finaliter in quarteria divisus, exsolvit pœnas proditionis et falsæ pejerationis in sacramentum altaris. Eodem anno comes Lancastriæ et barones Staffordiæ et de Greistoke, item heredes dominorum de Percy et de Neville atque dominus de Fornival et Bar-

tholomæus de Burghasshe, cum multis aliis, circa festum Omnium Sanctorum transfretaverunt in Gasconiam, posituri resistantiam debacchationi Joannis de Valesio, filii tyranni Francorum, qui ducatum illum nimis infestavit.

Interea concilium regale ordinavit quod nullus regis justiciarius, durante tempore sui officii, reciperet feoda de quocumque seu dona, præterquam de rege. Item magister Thomas Bradewardine archiepiscopus Cantuariæ, nondum inthronizatus obiit, et magister Symon de Islep in ejus successorem fuerat electus. Adhuc isto anno in comitatu Oxoniæ, juxta villam quæ dicitur Chepingnortone, inveniebatur serpens bicapitata, habens duas facies fœmininas, unam more novello fœminarum ornatam, aliam quoque imitantem ornatum antiquum, et habuit alas largas ad modum vespertilionis.

ANNO Domini 1350, ipsius regis anno 24, domini papæ Clementis VI anno . . . . , annus jubelæus celebris habebatur, quo omnes Christiani apostolorum limina visitantes, plenam indulgentiam de omnibus peccatis rite confessi et contriti recipiebant. Dominus de Fornival inconsulta temeritate hostibus insultans capitur in Gasconia, nec multum postea rex suum passagium in Franciam ordinavit, sed comes Lancastriæ rediens de Gasconia, nuntiavit ei de treugis editis per ipsum, quarum ratione regis transfretatio fuerat suspensa. Isto anno, in die sancti Georgii, rex celebravit

grande convivium apud Windsor, in castro, ubi instituit cantariam 12 sacerdotum, et fundavit zenodochium, in quo milites depaupertati, quibus sua non sufficerent, possent in Domini servitute de perpetuis eleemosynis fundatorum illius collegii sustentationem competentem habere. Præter regem fuerunt alii compromittentes in foundationem illius zenodochii, scilicet regis primogenitus, comes Norhamptonæ, comes Warwici, comes Suthfolchiæ, comes Salisbiriensis et alii barones, simplices quoque milites, scilicet Rogerus de Mortuo mari, nunc comes Marchiæ, dominus Walterus de Magne, dominus Willelmus filius Garini, Joannes de Insula, Joannes de Mohun, Joannes de Bealchampe, Walterus de Paveley, Thomas Wale, et Hughe de Wrotesley. Una cum rege fuerunt omnes isti vestiti togis de russeto pulverizato cum garteriis indicoloris, habentes etiam tales garterias in tibiis dextris et mantella de blueto, cum scutulis armorum sancti Georgii. Tali apparatu nudi capita audierunt devote missam celebrem per antistites Cantuariæ, Wintoniæ et Exoniæ decantatam, et conformiter sederunt in mensa communi ob honorem sancti martyris, sicut tam nobilem fraternitatem specialiter intitularunt, appellantes illorum comitivam sancti Georgii de le gartiere. In æstate sequenti, orta dissensione inter nautas Angliæ et Hispaniæ, Hispani obsederunt mare Britannicum cum 44 magnis

navibus bellicosis, quibus decem naves Anglicas versus Angliam ab Aquitannia velificantes captas atque spoliatas submerserunt, et taliter injuria passa vindicata, in portum de Sclusa Flandriæ applicuerunt. His auditis, rex suo navigio coadunato, in quinquaginta navibus et spinaciis, Hispanis reversuris obviare disponebat, secum habens principem Walliæ, comites Lancastriæ, Norhamptoniæ, Warwici, Sarisburiæ, Arundelliæ, Huntindoniæ, Gloucestriæ, et alios barones atque milites, cum eorum præcise secretis commensalibus et sagittariis. Denique in festo Decollationis sancti Joannis, circa horam vesperarum classes colliserunt, ubi magnæ buscæ Hispanienses quasi castra casellis, ita nostris navibus supereminebant. Dire nostros aggrediebantur saxis evolantibus a turriculis malorum et pilis vibrantibus atque quarellis acriter et crebro nostros vulnerantes, nec minus lanceis et spatibus cominus dimicando et cum classica armatura seipsos viriliter defendendo. Exasperatur dirus congressus, quo nostri multum terribiliorem non fuerant experti: terebrarunt tandem sagittarii longiori jactu sagittarum illorum balistarios, qui certius illis jecerunt quarellas, et ita compulerunt illos officium suum sequestrare. Alios etiam super oras buscearum et castra cominus dimicantes tablis navium se protegere votivos reddiderunt. Illos præterea, qui e turribus saxa fulminabant coegerunt se totos ita protegere,



quod capita et humeros more solito exerere non ausi, solis manibus erectis, sed non a sagittarum acie securis, saxa non jam projecerunt, sed dimiserunt cadere potius in perniciem suorum quam nostrorum ruitura. Tunc scalas conscensi nostri in Hesperias naves iruerunt gladiis et securibus obvios truncantes, et in brevi vasa plena Hispanis, vacuabant, atque vacuata replebant Anglicis, quousque noctis invidæ tenebris superfusi, non poterant videre cæteras 27. Ibi vidisses sanguine et cerebro naves pictas demiono sagittas in malis, velis, temonibus et castris infixas, de vulneribus mortuorum sagittarios sagittas colligentes, et imprecari sed incassum, crastinum bellum renovandum. Anchorarunt nostri, de prælio sperato cogitantes, nil fuisse factum dum aliud superfuit faciendum æstimantes, vulneratos curantes, inopes Hispanos mortuos et languidos in mare projicientes, cibo et sopore se recreantes, nec minus vigilem custodiam armatis manibus committentes. Post noctis silentium aurora procedente, Anglici ad classica nova, sed frustra præparati, tubis, lituis et musæ cornibus suos ad arma concitantes, sub pleniore luce solis emergentis mare contemplati nullius resistentiæ signum perceperunt, nempe 27 naves toto nisu fugientes de nocte, decem et septem vero spoliatas regis voluntati reliquerunt, sed invite rediit Angliam rex cum triumpho, sed magno periculo sui

atque suorum comparato. Reportarunt enim capita saucia commissuris lineis involuta, brachia et tibias quarellis et telis terebrata atque dentes evulsos, nasos quoque decisos, labra fissa et oculos erutos, læti de insigniis gloriosi triumphi et evasione, risus doloribus ægris miscuerunt. Ibi rex octoginta nobiles tyrones ad militarem promovit honorem, et unius doluit periclitationem, videlicet Ricardi de Goldesborough militis, qui suam mortem, ut dicitur, vendidit appreciatam care.

Isto anno Philippus de Valesio, vocatus rex Francorum, morbo mortis nuntio citatus ad examen judicis conscientiarum, publice confessus suam injustitiam, qua detinuit coronam Franciæ, jussit filium suum Joannem paci finali inter regna condescendere, monens quod in casu quo ipse regni solio potiretur, nunquam armatus militaret contra regem Angliæ ad bellum ineundum. Philippo demum universæ carnis viam ingresso, suus primogenitus præfatus Joannes in regem Franciæ fuit coronatus, sed injuste, et ideo non regem sed coronatum Francorum libet illum ex nunc vocitare. Post obtentam victoriam belli prædescripti, rex scribens summo pontifici supplicavit, quod aliquem clericum sui regni promoveret honori cardinalatus, asserens ipsum valde mirari quare ad illum sanctum ordinem nullum Anglicum a multis temporibus dignata est recipere curia Romana, quum tamen ad

utilitatem reverendi cœtus cardinalium pingua beneficia in regno Angliæ prædicto sint reservata, et in duplici universitate præfati sui regni ad cujuslibet scientiæ liberalis sine superstitione gradum magistralem sint multi excellentes clerici sublimati, et non minus morum honestate laudabiliter decorati. Rescripsit prædictus summus pontifex, quod dominus rex eligeret duos clericos sui regni ad tantum honorem aptiores, et circa illos sic electos clemens pater voluntati regiæ consensum libenter exhiberet, si tamen electi fuissent ad honorem Dei et ecclesiæ universalis iudicio cardinalium digni comprobati ad petitam dignitatem. Electos propterea magistrum Joannem Bateniam episcopum Norwicensem, et Radulfum de Stratforde episcopum Londoniensem, rex curiæ Romanæ per suas literas præsentavit, qui finem negotii diu sed incassum apud curiam præfatam expectarunt. Interim siquidem Joannes de Valesio coronatus Francorum profectus ad præsentiam domini papæ, præsentavit multos suos clericos de gratia sedis apostolicæ promovendos, ex quibus papa creavit 11 cardinales, duobus episcopis prænominatis utriusque juris egregiis doctoribus, ad tutelam ovium eis commissarum licentiatibus. Duellum bastardi cum Cyprio præfati inferi se habentibus, duo milites stipendiarii domini regis Armeniæ venerunt ad Angliam, et regis præsentiam, ostendentes literas præ-

fati regis Græci, in quibus continebatur quod alter illorum militum, scilicet Johannes de Viscomitis, natione Cyprius, alterum, scilicet Thomam de la Marche, natione Gallicum, et filium Philippi nuper regis Franciæ, sed illegitimum calumniavit, de eo quod prædictus Thomas debuisset a Turcis quandam auri summam recepisse, ad hoc quod exercitum Christianorum tyrannidi Turcorum prodidisset, et quod a calumniæ provocatione Joannem Thomas ad monomachiam provocasset, judicio Edwardi regis Angliæ, tanquam principis fortunatissimi dirimendam. Pro ista causa præfati milites dimicarunt infra ligaticia palatii regalis Westmonasterii, die Lunæ proxima post festum sancti Michaelis, ubi Thomas, in declarationem suæ justitiæ, ejus adversarium superavit, non tamen occidit, quia nec potuit sufficienter armatum penetrare aliquo tormento invasivo, præterquam in facie, quam habuit nudam. Post nempe hastiludia et pedestres congressus luctando simul in aream profusi, Thomas quibusdam stimulis curtis et acutis quos manum dextram comprimendo digitorum nodi radicales id est chirothecis laminatis, expresserunt, et eos moderni vocant gadelinges, nudam Joannis faciem vulneravit. E contra Joannes nullum tormentum habuit ita curtum quo posset lædere faciem Thomæ, et hinc horribiliter ipso exclamante, regio præcepto duellum

cessavit, et Thomæ victoria adjudicatur, qui victum Joannem principi Walliæ dederat captivum, atque suam armaturam sancto Georgio in ecclesia sancti Pauli obtulit devote. His peractis, Cyprio datur libertas manumissionis et Thomas ad præsentiam sui fratris coronati Francorum confidenter profectus, invenit dictum coronatum et proceres Franciæ contra ipsum indignatos, pro eo quod coram rege Angliæ monomachiæ consentiebat putative. Ad hæc Thomas securus de falsa fratris sui amicitia, volens ostendere se benefecisse, inter cætera laudavit regis Edwardi nobilitatem, famam per totum orbem ventilatam, et justitiam quam exercuit judicando, non acceptans personam Cyprii qui ipsum regem diligebat præferendam, inquit, mihi Franco, atque fratri et amico tibi domino meo regi Franciæ, prædicti Edwardi regis judicis adversarii mei. Itaque comes de Eu in laudes regias profudit abunde, adnumerans solatia et beneficia quæ in Anglia recepit a rege per tempus suæ captivitatis, recensens cum aliis quam longe fuit ab optimo rege invidia relegata, quando ipsi in Anglia captivo hastiludianti, ubi etiam rex hastiludavit, non invidebat campi gratiam acclamari. Laudibus præfatis quantumcunque citra condignum prædicatis invidebat coronatus Francorum, et per indignationem ex invidia, non verca justitiæ, spurio partu progenita, prædictarum laudum præcones impie jussit decapi-

tari, fingens comitem cum sua regia uxore nimiam habuisse familiaritatem, atque suum fratrem læsæ regiæ majestatis Franciæ fuisse reum, quando suam causam duellarem regis Angliæ examini commisit. Post prædictum fratricidium, uxorem suam, filiam nobilis regis Bohemiæ, in prælio de Cressi dudum occisi, fame torsit usque ad mortem, et deinde cujusdam monialis fœdis amplexibus et concubitu suum regium honorem fœdavit, usque ad ipsius captivitatem in bello Pictavensi infra descripto.

ANNO Christi 1351 et regis 25, post octavas Purificationis Virginis gloriosæ, in parlamento Londoniæ apud Westmonasterium celebrato, dominus Henricus filius Henrici comitis Lancastriæ, ipse comes Lincolnæ, Leicestriæ, Derbiæ, et Grossimontis atque de Ferrariis, factus est dux Lancastriæ, datis sibi libertatibus atque privilegiis munificentia regali, qualia nullus comitum habebat. Item dominus Leuencius de Andewerpe, regis filius, fit comes de Holnestria in Hibernia, et dominus Joannes de Gandavo germanus ejus, fit comes Richemundiæ, et dominus Radulfus de Staffordia, pridem baro, comes ejusdem tituli creabatur. In sequenti Quadragesima domini Walterus de Magne, et Robertus Herle capitaneus Calesiæ equitarunt in Franciam, cujus magna plaga deprædata, reducerunt pecudum, boum, ovium et porcorum magnam copiam;

unde Calesiam ita refocillarunt, quod una pinguis vacca vix valeret 16 denarios sterlingorum. Post hæc circa Pascha, dux Lancastriæ de Calesia progressus in partes maritimas Artosiæ et Picardiæ, exussit suburbium Bononiæ, sed insiliendo villæ non prævaluit, pro eo duntaxat, quod scalæ fuerunt nimis curtæ. Itaque vastavit civitatem de Tirewane et portum, item villas de Faucunberge et Staples, et in nominatis portibus incendebat plures quam centum et 20 naves diversarum formarum, deinde patriam campestris ignibus depascens usque ad Seint Omers equitavit, et multis fortaliciis expugnatis, cum magna præda et plurimis captivis Calesiam revertebatur. Item circa festum sancti Georgii, res in Gasconia bene gerebatur, quippe marescallus regni Franciæ cum magna multitudine armatorum depopulavit patriam villæ sancti Joannis evangelistæ, cujus custodiæ Edmundus Rose Norfolchiensis præficiebatur, unde populares coadunati cum garnestura prædictæ villæ, hostibus viriliter obviarunt, et inito congressu, multis quoque occisis, ceperunt prædictum marescallum et multos alios nobiles Francorum, fugatis amplius quam 400 viris status militaris.

Eodem anno eventus bellicus sub ducatu Joannis de Bellocampo germani comitis Warwicki, in perversum fuerat mutatus. Ipse nempe capitaneus tunc Calesii, educta fere tota

sua custodia, scilicet trecentis viris armorum atque totidem sagittariis, patriam vicinam triduo vastavit, et reduxit prædam innumeratam, sed in reditu versus Calesiam, domini de Bealgiu et de Fienes cum mille et quingentis viris armorum illis insidias in tribus locis inboscarunt, qui, devictis prima et secunda imboscationibus, venerunt prope pavementum quod est iter ad Calesiam, ubi hostes recenter ipsis occurrerunt. Prædictus igitur Joannes, miles strenuissimus et miræ magnanimitatis, indignatus quasi fugiendo in locum tutum et aptum defensionis suos contrahere, spernit pavementum eis vicinum pro refugio captare, quo si devenissent hostes in illos non prævaluissent, si fuerit credendum illis qui fuerunt ibidem; tunc enim illos non potuissent circumvallasse. Igitur in plano campo illis restiterunt et quantumcunque lassati ex duplici in eodem die habito conflictu, et multi ex eis periculose fuissent sauciati, sagittarii etiam suas sagittas expendissent, animose tamen, licet non sapienter suos hostes receperunt, sed innovatur acer conflictus, in quo dux adversariorum præfatus dominus de Bealgiu cecidit peremptus, quo non obstante, sui constanter nostros expugnarunt, atque omnes ceperunt præterquam paucos, qui in aliis conflictibus graviter vulnerati, cum illis qui prædam ad villam abigebant, ante tertium conflictum fuerant Calesiam sed pauci regressi. Nullus Anglicus



fuit ibi occisus, qui se voluit alicui reddere, unde fere omnes postea fuerunt aut per redemptionem aut commutationem aliorum pro illis liberati. Eodem anno naves Hispaniæ cum auctoritate tractandi de pace Angliam applicuerunt, sicut anno præterito fuit per easdem citatas et detentas compromissum, et ordinatæ sunt treugæ inter Anglicos et illas 20 annis duraturæ. Item inter regna Angliæ et Franciæ initæ sunt treugæ annuæ durationis, quas propter captionem castri de Gynes Gallici fregerunt, sicut annali proximo notatur. His etiam temporibus mutatum est aurum optimum in novam auream monetam, antiquum enim notabiliter valuit ultra pretium taxatum, et ideo Lombardi, cæteri quoque mercatores alieni ipsum emptum asportaverunt de regno, ad magnam regis et totius Angliæ jacturam, cui fuit remedialiter provisum per prædictam commutationem. Fuit etiam moneta argentea de novo fabricata, videlicet grossus valoris quatuor sterlingorum, et alius in subduplo sibi appreciatus.

ANNO Christi 1352, circa primum mensis Januarii, Gallicis occupatis circa reparationem murorum villæ de Gynes, antea per Anglicos devastatæ, quidam viri status militaris operi tanto male conscii ingeniati sunt ejus demolitionem, et efficaciter, sub hac forma. Erat quidam sagittarius nomine Joannes Danecastrie, qui aliquando captus et in castro de

Gynes incarceratus, nec habens unde redimi posset, ut ibi similiter operaretur, fuerat dimissus. Iste cujusdam foedissimæ lotricis foedis amplexibus associatus, didicit ab illa ubi trans fossam principalem a fundo fossæ fuerat murus fabricatus, latitudinis duorum pedum protensus ab aggere ad oram fossæ interiorē, ita quidem aquis opertus, quod non videbatur, sed non ita submersus quin vadens per illum vix genuis contingeret aquæ superficiem, factus quondam ad opera piscatorum, et ideo in medio ad spatium duorum pedum discontinuatus. Adhuc illa foeda prodehente, metitus est cum filo altitudinem muralem. Istis cognitis, una dierum de muro lapsus, Deo commissus, per occultum murum præfatum transiit fossam, et usque ad vesperum latens in marisco, de nocte venit prope Calesiam, ubi expectans clarum diem tunc introivit, alias minime recipiendus. Hic edocuit avidos prædæ et furandi castrî præfati, quo ingressus pateret illis. Factis igitur scalis ad mensuram per illum taxatam, triginta viri conspirati armis nigris absque splendore cooperti, de nocte castrum, duce Joanne adiverunt, atque murum scalis conscensi, speculatorem a casu eis obvium incipientem exclamare, excerebratum præcipitent. Deinde in aula multos inermes ad instar ovium in præsentia luporum attonitos trucidarunt inventos, aut ad scaccharium aut ad hasardum

concludentes. Deinde contra dominas et quosdam milites dormientes, cameras et turres faciliter ingressi, facti sunt magistri omnium quæ volebant. Inclusis tandem omnibus captis, in una camera fortiori, armis omnibus spoliatis Anglicos incarceratos ab alio priori liberatos, cibatos et armatos, suis quondam magistris præfecerunt, et sic demum omnes castri munitiones occuparunt, ignorantibus illis, qui in villa reædificationi dirutorum erant præfecti, quid castellanis contingebat. In crastino præceperunt operantibus in villa ab opere cessare, qui, per hoc nota castri captione, celeriter fugerunt, et novi castellani dominas inventas equestres abire permiserunt, cum earum robis et chartis atque munimentis, quibus sua feodalia tenere deberent. Eodem die supervenerunt eis in auxilium quidam invitati a Calesia, quibus fideliter astipulantibus castrum secure tenuerunt, et circa horam tertiam venerunt missi a comite de Gynes duo milites, qui petitis induciis, quæsierunt ab ingressis, qui et cujus, seu quorum auctoritate castrum captum detinerent tempore treugarum. Ad hæc responsum receperunt, quod intrusi nolabant alicui viventi suum esse revelare, quousque diuturniorem loci seisinam fuissent experti. Igitur in die sancti Mauri abbatis rege suo parlamento incumbente, venerunt Gallici missi a præfato comite de Gynes asserentes in præsentia regis, quod in præjudicium treuga-

rum castrum prædictum fuit captum, et ideo jure mutuæ fidei eis integraliter restituendum. Respondit nuntiis prudentia regalis, quod de assensu regio vel scitu non fuit facinus ingeniaturum, et ideo petentibus tradidit literas præceptorias cuilibet suorum; ne aliquis suus fidelis castrum de Gynes, ut præmittitur, occupatum detineret, sed suis legitimis dominatoribus liberaret illud. Nuntiis regressis et expositis suæ legationi contingentiis, accessit ad castrum quandoque suum comes de Gynes, quærens ab intrusis sicut alias, cujus nomine castrum occuparunt, quibus constanter respondentibus, quod nomine Joannis Danecastrie, quæsivit utrum Joannes præfatus esset fidelis regis Anglorum, aut ejus præceptis inclinaturus; quo respondente quod non, scivit enim quid in Anglia contigit nuntiis prænominatis, obtulit comes pro castro præter totum thesaurum in eo repertum, multa millia scutatorum, aut possessiones pro commutatione et pacem perpetuam atque amicitiam regis Francorum. Ad hæc finaliter responderunt castellani, quod ante captionem sui castri fuerunt Anglici natione, sed suis demeritis a pace et amicitia atque incolatu regis Angliæ et regni relegati, exulati, unde locum quem habuerunt libenter venderent aut commutarent, sed nulli prius quam suo regi naturali, scilicet præordinato regi Angliæ, cui ut dixerunt, forent exposituri suum

castrum venale pro sui pace atque pacifica revocatione ab exilio, qui si nollet illud emere, regis Franciæ aut cujuscumque abundantius offerentis pro illo pretium conventionis reciperent libenter. Talibus comite evacuato, rex Angliæ castrum revera desideratum emit et occupavit. Istud fortalitium solebat Anglicis obturare viam in patriam superiorem, præbens patriæ magnam securitatem a forariis Calesiæ. Volens igitur concilium Francorum locum illum rehabere, aut aliud ejusdem utilitatis ædificare pro tuitione patriæ vicinæ, miserunt Galfridum de Charny nuper redemptum de carcere Anglorum cum auctoritate faciendi quæ sequantur. Itinerantibus de Gynes ad Calesiam erat quidem locus a sinistris fortis sed devotus, habens ecclesiam in qua virgines consecratæ servierunt Deo, et vocabatur Lawascie, et ita castro de Gynes fuerat vicina, quod stantes Anglici extra portam suæmunitionis, poterant ad illam sagittare. Illud monasterium faciliter poterat fieri defensabile, habuit enim ad instar castrum muros erectos, et turrim arduam et amplam pro campanili, sedens insuper in marisco, modico labore poterat aquatica fossa concludi. Loco sancto quantumcumque suspecto, tamen ob devotionem Jesu Christi omnes Anglici et semper pepercerunt, usque quo Galfridus prænominatus in violationem treugarum cum potenti manu armata Gynes obsessit, et moni-

ales ab ecclesia dimovit, castrum de ecclesia et muro barbam, aut toti fossam nisus fabricare, et hoc circa Pentecosten illius anni, quo tempore aquis non impredientibus poterant sui in marisco laborare. Itaque antierius obsessi castellani de Gynes vix poterant egredi per fossas aquæ plenas in cymbis aut per mariscum invium et aquosum, nec Calesienses poterant ipsos quomodocumque egenos victualiare propter obsidionem et custodiam de Lalbascie. Pluries exierunt obsessi et dimicabant cum illis de Lalbascie, sed nimis paucos aliquando sagittis et nonnunquam aliis armis occiderunt. Tandem die constituto convenerunt Calesienses cum illis de Oye et de Merke, ex una parte, occurrentibus castellanis ex adverso, et occiderunt multos, pluresque fugarunt, atque finaliter incenderunt totum Lalbascie, et muris dirutis, omnia solo coæquarunt. Hoc anno domino duce Lancastriæ Spruciam profecto et deinde apud regem Craskowye contra Turcos demorante, filia sua domino duci Selandiæ Willelmo, primogenito quondam Ludowici ducis Bavarie, intrusoris imperii Romani, fuit in Anglia desponsata de consilio regis et ordinatione. Isto anno in vigilia Assumptionis virginis matris Dei Walterus de Benteteye capitaneus, Robertus Knollis, et alii regis fideles, in marchia Britannie hostibus egregie obviarunt, ubi in certamine diu periculoso, fuerant occisi marescallus

Franciæ principalis, item domini de Quintin, de Curtunoke, de Richemont, de Mountalban, de Lagenel, de Launey, de Mountboche, de Vilechastel, de la Marche, et alii milites numero centum quadraginta, atque domicelli ad summam quingentorum, quorum togæ armaturæ fuerunt reportatæ, numero popularium non taxato. Ibidem capti fuerunt dominus de Brusebeke, filius marescalli Bertram, item Tristram de Maleis, item dominus de Maletret, item vicecomes de Comayn, item Galfridus de Goanes, Willelmus de la Val, Carolus D'Archevil, Joannes de Bause et alii milites cum damicellis amplius quam centum et triginta. Iste Francorum exercitus sub ductu prædicti marescalli ex proposito ductoris fuerat a tergo declivo cujusdam montis vallatus, quod non poterat fugam inire ut ex fugæ desperatione cresceret eis audacia pugnandi, sicut solet animosis. Fuerunt etiam ibidem plures de comitiva militum Stellæ, qui in sua professione conjurarunt se nunquam Anglico terga territa versuros, de quibus fuerunt inter captos et occisos numerati quadraginta quinque. Ab illo discrimine pauci non vulnerati evaserunt, in quo ipsorum capitaneus Walterus horribiliter vulneratus jussit triginta sagittarios decapitari, qui in maximo belli fervore territi a Gallicorum immensitate fugam inierunt. Item comes Staffordiæ Gasconiam intravit, ubi obviis Gallicorum

magno exercitui, qui a munitione Dagent fuerant egressi, hostes fudit, cepit et fugavit, circa Nativitatem virginis gloriosæ. Ibi fuerunt capti famosus ille miles, ductor providus, atque vir magnæ præsumptionis vocatus Brusegandus, et septem milites comitivæ de Stella, nec multum postea communi morte obierunt ibidem Johannes Dodienses et Thomas Wale milites magnæ probitatis. Isto etiam anno, audito quod piratæ mare inquietarunt, ordinatæ sunt septem naves bellicæ cum spinaciis subservientibus, quibus amiralli Thomas Coke et Ricardus Totlesham milites, mare circa litora Picardiæ et Normanniæ despumaverunt, sed ante festum sancti Georgii votive revertebantur. Dum hæc in mari et terris gerebantur, duci Lancastriæ a Sprucia reverso misit literas Otto filius ducis Brunuswici Teutonici, stipendiarius coronati Francorum, quibus ipsum ducem calumniabatur, asserens quod dux per Coloniam de Sprucia revertens informavit malitiose Colonienses, de eo quod præfatus Otto nitebatur ipsum ducem furtive rapuisse coronato Francorum ut captivum præsentandum, subdens quod quia talem raptum nunquam excogitavit, paratus fuerat in declarationem suæ famæ per monomachiam, in curia duntaxat regis Franciæ, ducem Lancastriæ de præstito articulo mendacem comprobare. Literæ, quibus ista continebantur, non fuerunt sigillatæ; et ideo, ne



stultam visus fuisset schedulæ fidem adhibuisse, præsertim per famulum status abjecti præsentatæ, misit Ottoni duos milites inquisituros causam calumniæ et petituros ejus super illa literas patentes per sigillum authenticum muniendas, quibus itineris impleto negotio, ab Alemannia festinanter reversis, misit dux coronato Francorum pro securo conductu sui atque suorum. Cum magna tandem difficultate petita et obtenta licentia regis, Parisium adivit, ubi in ligaticis, præsentibus coronato Francorum, rege etiam Navarræ, et duce Burgundiæ, atque plurimis paribus et aliis de regno Franciæ, dux dextrarium decenter conscendit, omni signo sine defectu duello desiderato, omnino paratus expectavit adversarii præparationem, et vocem præconis atque cautionem communis juramenti de fide dictorum et parendo juri. E contra prædictum Ottonem vix auxilio sublevatum equus recalcitrans recepit invitus, a quo evector non potuit cassidem sed neque scutum decenter aptare, aut lanceam erigere, aut se non posse vecorditer finxit. Itaque statim coronato atque regi aliisque præsentibus comperta Ottonis impotentia, coronatus Francorum causam monomachiæ pertractandam sibi continuo reservavit. Unde Otto primitus jussus abscessit, et in area dux expectavit. Post hæc præcepto coronati Francorum Otto juravit, quod nunquam ex tunc

de prædicto articulo ducem Lancastriæ calumniaret, et abinde dux per Selandiam repatriavit. Incidentia post Epiphaniam istius anni: in parlamento apud Westmonasterium celebrato, fuit ordinatum ad instantiam Londoniensium, quod nulla meretrix notata gestaret de cætero capucium nisi stragulatum, neque uteretur pellura aut vestibus reversatis, sub pœna forisfactionis eorundem. Item bladi caristia per illos de Selandia et Hibernicos deferentes blada venalia ad diversos portus regni, fuit in magnum populi solatium mitigata. Præterea isto anno piæ memoriæ dominus Willelmus de la Zowche archiepiscopus Eboracensis, ab hoc mundo migravit, et suum locum magister Joannes de Thursby episcopus Wirecestræ et regni cancellarius fuerat translatus.

ANNO Christi 1353, regis Edwardi 27, in crastino sancti Matthæi vel Matthiæ apostoli, parlamento Westmonasterii fuit ordinatum quod stapulæ lanarum, scilicet locus confluentiæ mercatorum pro lanis emendis, quæ prius fuerant apud Flandriam in Bruges, forent de cætero in diversis partibus Angliæ, Walliæ, et Hiberniæ, ordinatis statutis contra transgressores, et datis privilegiis mercatoribus, sed præcipue alienigenis, ut patet in legibus inde confectis. Post prædictum parliamentum comes Norhampton egregius continue domitor Scotorum, quorum versutiæ

semper plus Anglicis nocuerunt quam fastus pompaticus Gallicorum, profectus est in Scotiam cum magna comitiva armatorum et sagittariorum atque Wallensium vespilionum, ubi Marchiam transequitavit, et inforciavit castrum de Loghmaban et alias suas munitiones, atque cepit inboscatos Scotos bellicosos, sed inter cæteros dominum . . . . virum militarem et dotatum prædiis mille marcarum. Habuit etiam tractatum pacis cum illa superbissima gente Scotorum, qui libenter regem suum redemissent et perpetuam amicitiam cum Anglicis fecissent, ita tamen quod de rege Angliæ rex Scotorum suam terram non teneret.

Isto anno, in die sancti Nicolai obiit Clemens papa sextus, cui successit Innocentius papa, etiam sextus. Iste papa Innocentius pro magno pacis desiderio, misit Calesiam cardinalem Bononiensem, auditurum tractatum de pace finali inter regna Angliæ et Franciæ, cui confluerunt concilia duorum regnorum cum plena auctoritate tractandi et constituendi conditiones pacis præfatæ, et in hoc tandem consenserunt, quod rex Angliæ resignaret totum jus suum quod habuit in regnum Franciæ et dimitteret nomen regium Francorum, et haberet pro tanto ducatum Aquitaniæ et comitatus D'Artoys et de Gynes, pro se et suis successoribus regibus Anglorum absque hoc quod de rege Franciæ illa teneret

quomodocumque. Istis conditionibus pius Edwardus rex Angliæ et Franciæ pium et benevolum præbuit assensum, pro devotione pacis Christianitatis, tandem pro assecuratione tantarum conventionum mittuntur ad sedem apostolicam nuntii solemnes utriusque regni, quippe a latere regis Angliæ fungebantur ista legatione episcopus Norwicensis, dux Lancastriæ, comes D'Arundel, et alii milites, quibus profectis Avinionam, accesserunt archiepiscopus Rotomagensis, dux Borboniæ, Galfridus de Charny, et alii de concilio Francorum. Omnes nuntii fuerunt in honore magno recepti, duci quidem Lancastriæ obviaverunt multi cardinales et episcopi, qui a duobus milliaribus ipsum conduxerant ad civitatem et palatium domini papæ, tandem in consistorio summi pontificis; ipso et cardinalibus atque nuntiis utrisque præsentibus, fuerunt expositæ causæ nuntiorum, quibus auditis, Anglici petierunt conventiones confirmari dudum apud Calesiam inter seipsos et nuntios Franciæ ibidem præsentibus constitutæ. Anglicis Gallici responderunt, quod libenter vellent pacem, sed de Aquitania et præfatis comitatibus, ut dixerunt, non posset rex Franciæ, sed nec ipsi assentirent, quod integritate regni, ad quam rex et ipsi fuerant jurati, forent cum omni jure, quo prædicto regno pertinebant, alienata; bene consentirent quod utile dominium prædictorum ducatus et comitatum

regi Angliæ devolveretur, sicut habuerunt Aquitaniam sui antecessores, ita tamen quod regalitas regiæ coronæ Franciæ reservaretur. Anglici vero considerantes quod regalitas prædicta per dilationem homagiorum et ligantiarum solebat antiquos reges Angliæ et Franciæ ad discrimina guerrarum commovere, petierunt pro habenda pace perpetua, quod præfata dominia forent absolute et sine conditione suo regi concessa, ut præmittitur; quæ petitio quamvis nuper apud Calesiam, ut testabatur cardinalis Bononiensis, fuerat admissa, et per habentes auctoritatem confirmata, tamen ibi fuit pertinaciter denegata. Fuit etiam responsum rationi Gallicorum de sui regis et suo juramento, quo videlicet fuerunt obligati ad conservandam integritatem honoris regni et illi pertinentium, quod scilicet dominus papa, si ei placeret, posset pro bono pacis eos absolvere a prædicto juramento, et hoc quoad certos articulos præmissos foret consulte faciendum, attamen per papam nihil fuit innovatum, quod ad pacem ecclesiæ et regnorum notabiliter valeret. Propterea nuntii ad graves expensas illuc destinati sine effectu revertebantur, dempto quod episcopo Norwicensi, viro magnæ sapientiæ ibidem obeunti et sepulto, successit dominus Thomas de Percy, provisione domini papæ et instantia nuntiorum.

ANNO 1354 rex Navarræ, suscitata rixa,

occidit dominum Carolum de Hispania, Franciæ marescallum, unde vindictam coronati declinaturus, in propria fugit, mittens avunculum suum duci Lancastriæ cum literis suppliciter deprecatoriis quod veniret Normanniam in sui auxilium et defensionem, recipe-  
retque ab ipso juramentum fidelitatis et amicitiae contra omnes viventes. Igitur dux, habita licentia a domino rege, magnam classem coadunavit apud Suthampton, ubi duce parato ad velificandum, revererunt milites sui nuntii præmissi Normanniam pro istius negotii veritate contemplanda, per quos duci fuit notificatum, quod prædictus suus consanguineus rex Navarræ coronato Francorum erat pacificatus, et sic ducis transfretatio pro tunc suspendebatur.

ANNO 1355, regni Edwardi 29, ipso rege versus Franciam circa Sandwicum, et principe Walliæ versus Aquitaniam apud Suttonam in Devoniam ventum prosperum expectantibus per amplius quam quadraginta dies, cæteris paratis, coronatus Francorum habuit suos exercitus divisos super portus Normanniæ et in aliis maritimis impedituros regem seu principem, ne ad terram applicarent. Interim et tamdiu quod ipsi Gallici cum suis stipendiariis patriam propriam nimium vastarunt, et ab ærario coronati multis millibus scutatorum inaniter consumptis, tandem vel nimis pauper seu parcus prædictus coronatus stipendia suis

non persolvens, ita fuit ab eis derelictus, quod rege Franciam depopulante, coronatus non habens cum quibus occurreret suo persecutori, ipsum insequentem fugiebat, villas proprias incendens et victualia devastans, ne rex hospitium aut victum pro suis reperiret. Altamen dominus rex ipsum coronatum tribus diebus persecutus, qualibet nocte hospitatur, ubi nocte præcedenti coronatus fugiens latitabat.

Post mensem Augusti dominus rex et dux Lancastriæ cum septem millibus armatorum et pertinentiis, Franciam intrarunt, et per novem dietas omnia itinerando flamma depascentes depopularunt, et Calesiam reversi, audivit rex quod Scoti furtim intrarunt et ceperunt villam Berwici, barone de Greistoke non invitato cum rege militante, cui committebatur cura villæ jam captæ, unde rex ad Scotiam properavit, Berwicum obsessit, et infra quindenam villam sibi redditam recepit, datis vita et libertate inventis in illa. Deinde Scotiam usque ad mare Scoticum peragravit, et quia victualia exercitui defuerunt pro eo quod Scoti ante suspectum regis adventum omnia ad insulas et fortalicia et trans mare Scotiæ deportarunt, sed neque naves Novi castri exercitum victualiarunt, tamen ad hoc ordinatæ, cum rege licentiate, omnes in Angliam repatriarunt, sequentibus in fine exercitus ad 12 miliaria Roberto Herle, Almerico

de Sancto Edmundo, Roberto de Hildesleye et aliis, quibus Scoti de nocte inventis dormientibus, nihil adversum suspicantibus, cum exclamatione insultum dederunt. Ibi post longam resistantiam Robertus de Hildesleye et Joannes Brancestre milites fuerunt capti; Roberto Herle et Almerico vix evasioni se committentibus. Consuluerunt enim prædicti milites, visa Scotorum prævalentia, quod sui domini barones ipsos suos clientes redempturi, pulcra seu cauta retractatione a Scotorum captione se eximerent, et hoc fecerunt æstimantes consulte tolerabiliorem pauperum militum quam baronum, et paucorum quam omnium captionem.

Post hæc dominus dux Lancastriæ, ordinatus capitaneus Britanniae, navigio Neustriam profectus, apud Hoggis litora nactus, circa festum sancti Barnabæ apostoli equitavit cum Philippo germano regis Navarræ, qui ipsum ducem in sui auxilium invitavit. Isto nempe anno coronatus Francorum habens suspectos regem Navarrorum et dominum de Harecourt, et quosdam alios nobiles de regno, ipsis ad convivium invitatis, prædictum regem incarceravit, et alios nobiles trucidavit, profitente domino de Harecourt securi feriendo, aut ut dicitur saccum induto demergendo, quod nunquam aliter fuit reus prodicionis quam quod cum rege Angliæ, vero herede et de jure licet non de facto rege totius



regni Franciæ, non tenuit, sed ei rebellis extitit injuste. Taliter præfato rege incarcerato, suus germanus Philippus prænominatus saisivit multa castra in insula de Constantin et Normannia, quæ cum auxilio ducis Lancastriæ sufficienter victualiavit, et hominibus tam Anglicis quam suæ nationis referta, contra Francorum tyrannidem inforciavit. Eodem tempore quo dominus rex versus Calesiam et Franciam, sicut dictum est, transfretavit, suus primogenitus, dominus Edwardus de Wodestoke, Walliæ princeps, habens comites Warwici, Suthfolchiæ, Sarisburiae et Oxoniæ, a portu Suttone in Devonia, die crastina Nativitatis sanctæ Mariæ feliciter enavigavit, et in principio mensis Octobris applicans Burdegalim, receptus est cum honore, episcopo et clero atque religiosis universaliter sacra indutis, cum toto populo ipsi occurrentibus. Tam devote quam jocunde prima die Dominica illius mensis divinis laudibus devote consummata, die Lunæ subsequente princeps, contra inimicos de Burdegali profectus, hospitabatur duobus milliaribus a Burdegali in castro, scilicet de Urnoun. In crastino transivit per iter strictum atque silvestre per medium villæ de Longau muratæ, longa dieta, in perditionem multorum equorum, ad forte castrum de Audert. Die Jovis ad civitatem de Besashuntoun, ecclesiam cathedrallem et conventum Minorum. In die Veneris

in exercitu fuit proclamatum, quod quilibet gestaret arma sancti Georgii, et dicebatur quod inimici eadem gestarunt. Die sabbati ad castrum Nau, ubi tria castra trium dominorum unum apparent de longe. Die Dominica, scilicet duodecimo illius mensis, transiit exercitus per Laundes de Bordeaux, quæ sunt de dominio comitis de Fluxensis. Ista dieta longa, vasta et mala, multos perdidit equos. Isto die in prædicto vasto vocato Laundes a duobus milliaribus a villa d'Areule fuerunt vexilla displicata et exercitus in turmas divisus: in prima custodia, in qua ter mille viri armorum fuerunt, comes Warwici constabularius, Reginaldus de Cobham marescallus, dominus de Bealchamp Somersetensis, dominus de Clifforde, dominus Thomas de Hamptone ad vexilla, ut cum eis Gasconum septem barones. In media custodia, in qua septem mille viri armorum præter clericos et servientes fuerunt, dominus princeps cum duplici vexillo, comes Oxoniæ, dominus Bartholomæus de Bourghasshe, dominus Joannes de Insula, dominus de Wylby, dominus de la Ware, dominus Mauricius de Berkleye filius domini Thomæ tunc viventis decrepiti, dominus Joannes Boursers, dominus Joannes de Roos major Burdegalis, capitaneus de la Busche, dominus de Camount, dominus de Mountferant ad vexilla. In custodia postrema quatuor mille virorum armorum sub co-

mite Suthfolchiæ et comite Sarisburie et domino de Pomers, qui duxit Bernenses. In toto exercitu taliter ordinato, fuerunt virorum armorum, clericorum, servientium, sagittariorum et brigancium et bidners, ultra sexagesies mille viri, et illo die fuerunt Janekinus de Berafort et alii milites ordinati, et villa d'Arule cum tribus aliis villis, quorum erat capitaneus dominus Willelmus de Reymon, fidei Anglico tunc de novo fuerunt redditæ domino principi, in quibus exercitus hospitabatur et biduo ibidem ipso perendinante, exierunt qui volebant et ceperunt victualia et foragia, et patriam hostilem combusserunt, et ita fecerunt generaliter quousque revertebantur ad terram pacis. Die Martis hospitatis in villa de Montclari, castrum fuit redditum, et post hæc iterum ad Gallicos princeps, ratione ignis qui erupit de villa et illam incremavit, exivit in campum et jacuit in tentoriis, nolens extunc in villis pernoctare propter similes timores nocturnos, et ut semper esset hostibus paratus: isto die tribus villis invasis et incensis, facti fuerunt milites Gilotus de Stratton et quidam alii. Item Joannes de Insula, ad fortalitium de Astangis cum quarello sauciatus, obiit die sequenti ad magnam exercitus defectionem. Diebus Mercurii et Jovis perendinarunt, et die Veneris coram villa forti de Logeron in tentoriis morabantur. Sabbato venerunt ad Plasence, vil-

lam pulcram et fortem, cujus omnes incolæ fugerunt et in castro fuerunt capti, comes de Molasin, et cum eo multi milites atque domicelli per capitaneum de Bosco, et dominum de Monteferando, et Adam de Lowches, eodem die militem: prima Dominica, die sancti Lucae evangelistæ perendinarunt, et fortalicium de Galiaun cum insultu expugnatum concremarunt. Die Lunæ immisso igne villæ de Plazense, reliquerunt a dextris villam de Bealmarchie et hospitarunt coram villa archiepiscopi de Ause, vocata le Basse, et illo die dominus Ricardus de Stafforde, germanus comitis Stafforde primo ad vexillum suos duxit. Die Martis prædicta, villa fuit dedita, et quia pertinuit sanctæ ecclesiæ, princeps non permisit aliquem intrare præterquam personas certas ordinatas ad liberationem victualium. Die Mercurii dimiserunt a sinistris pulcram villam de Escamont et venerunt coram villa nobili de Miraude, de dominio comitis de Comenge, plena viris armorum, et princeps hospitabatur in monasterio grandi de Bertones, ordinis Cisterciensis, in quo nullus vivens fuerat repertus. Die Jovis perendinarunt, nihil mali prædicto monasterio inferentes. Die Veneris exierunt nobilem pulcram et ditem patriam D'Arminake, et intrarunt patriam vocatam Astarike, per quam transitus erat difficilis, arctus et montuosus, et hospitati ad Saxante villam, contra prohibitionem

præconis principalis incensam : per illam dietam et tres alias sequentes transierunt juxta celsos montes Arragoniæ. Die sabbati venerunt ad villam de Seint Morre, ubi in grandi monasterio nigrorum monachorum fugatorum retro custodia, et apud Villefraunke media, et apud Turmayn prima custodia fuerunt hospitata, villas quidem opulentas et victualibus refertas, sed incolis fugitivis desolatas. Dominica quarta, die sanctorum Crispini et Crispiniani, transierunt quoddam vadum in terras comitis de Comenge, quæ extendebatur usque Tolosam, sed fuerunt ignibus et gladio depastæ, et tunc dimiserunt a sinistris ville vocatam Saunetere en Asturake, et transierunt juxta fortem civitatem vocatam Wynbers, ubi semotis nigris monachis, Joannes papa XXII episcopalem ordinavit, et fuerunt hospitati in magna et divite villa vocata Socamon, comitis de Comenge, ubi fuerat conventus Minorum, sed cum villa incrematus. Die Lunæ per patriam amplam, planam, et pulcram transierunt villam de Seint Foye, usque ad Seint Litz. Die Martis quieverunt, et die Mercurii sequente, scilicet festo sanctorum Simonis et Judæ, exercitus transmeavit aquam de Geroude, rigidam, petrosam, et mirabiliter terribilem; et iterum eodem die Aquam de Arage, illa de Geroude plus periculosam, et descenderunt ad Tolosam. Prædictas aquas nunquam aliquis equus antea transivit, unde

territæ gentes illius terræ, nescii quid facerent, nec poterant fugere præoccupati, prius se putantes per aquas illas securos, neque sciverunt rebellare, quos nunquam prius furor bellicus invasit. Illa nocte princeps hospitabatur apud Falgarde, modicam villam uno milliari distantem a Tolosa. Die Jovis adierunt villam magnam et pulcram de Monte Giscard, partem hereditatis domini Almerici de la Fossade, quam sibi abstulit coronatus Francorum, quia fuit fidelis regi Angliæ. Juxta prædictam villam fuerunt 12 molendinæ ventosæ, quæ pariter flammis depascebantur. Ibi capiebantur duo spies exploratores, qui dixerunt comitem Arminiacensem fuisse Tolosæ, et constabularium Franciæ apud Montmaban, quatuor leucas a Tolosa, suspicatos adventum exercitus ad obsidionem Tolosæ. Die Veneris transierunt rectum iter regium versus Avinionam per bonam villam de Basige, et Villefranke, et totus exercitus fuit hospitatus ad magnam villam vocatam Anionet, quæ erat coronati Francorum, media custodia et tertia in suburbio bene quietatis, et prima in altera parte suburbii, Gasconibus et Bernensibus infra villam hospitatis, cujus omnes incolæ fugam inierunt. Ibi fuerunt incineratæ 20 ventosæ molendinæ. Die sabbati, ultima die Octobris, hospitabantur in grandi oppido vocato Chastelnavenareo, ubi ecclesia sancti Michaelis canonicorum

secularium et conventus Minorum, atque Carmelitarum beatæ Mariæ, item hospitale sancti Antonii, et villa vocata les Manus de Pucels, cum conventu Augustiniensium, omnia fuerant ignibus consumpta. Die Dominica, scilicet in festo Omnium Sanctorum, quievit exercitus, a quo quidam exeuntes conquisierunt unam villam, cui ut parcerent et catalis eorum, oppidani dederunt decem millia florentium aureorum. Die Lunæ transierunt per villas sanctæ Marthæ le Port, et oppidum grande vocatum Vilkapinche, et ex tunc intrarunt patriam Carkasonæ, et princeps hospitabatur apud viculum vocatum Alse. Die Martis advenerunt Carkasonam, villam pulcram, prædivitem, et bene ædificatam, ampliorem Londoniis infra muros. Inter villam Seuburgum et civitatem circumcinctam duplici muro, currebat aqua vocata . . . . . sub ponte pulcro petrino, ad cuius pedem pulcrum hospitale fuit situatum. In burgo fuerunt quatuor conventus quatuor pauperum religiosorum, quorum ministri, scilicet fratres, non fugerunt, burgensibus et minorissis quæ illic etiam habitabant, in civitatem fugientibus. In burgo totus exercitus bene et laute hospitatus, vix occupavit tres ejus quartas, abundans vino muscato et cæteris victualibus tam delicatis quam necessariis. Isto die acies ante burgum fuerunt bene ordinatæ, et effecti milites filii domini de Li-

breto, et dominus de Basset Dreitone, qui incontinenti cum erecto proprio vexillo militavit. Item Rolandus Daveys et plures ad ordinem militarem promovebantur. Diebus Mercurii et Jovis, exercitu in burgo quiescente, habitis induciis, quidam ad hoc ordinati tractarunt de pace cum illis de civitate, cujus cives obtulerunt pro salvatione burgi non comburendi, ducenta et quinquaginta millia scutorum aureorum. Offerentibus aurum princeps respondit, quod huc non venit pro auro sed justitia prosequenda, nec ut venderet sed caperet civitates. Unde civibus in timorem coronati Francorum persistentibus, nec suo domino naturali volentibus obedire, seu revera non audientibus pro vindicta prædicti coronati, princeps die crastina jussit burgum ita incendi, quod domibus religiosis parceretur. Die Veneris burgo igne accenso, exercitus recessit, et postea per fratres religiosos et alios audivit quod burgus incineratus erat. Illo die, scilicet sancti Leonardi, transierunt iter laboriosum, petrosum, et aquosum, dimisso a sinistris castro de Botenake intacto, per campestria et villas vocata la Rustican, et totam patriam combustam. Sabbato per iter tædiosum, vento et pulvere exercitui nocivis, dimiserunt a sinistris piscinam aquarum recentium, habentem in circuitu 20 leucas, quæ nec recipit nec emittit aquas aliunde, nisi pluviales aut scaturientes,



et vocatur Esebon, atque venerunt ad villam vocatam Sylome, redditam principi sed intactam, ratione dominæ Isidis de Britannia amicæ principis, cujus erat villa prædicta, et princeps fuit hospitatus ad bonam villam vocatam Canet. Dominica, scilicet octavo die Novembris, transierunt aquam de Sande, partim apud vadum vocatum Chastel de terre, et partim trans pontem novum sed imperfectum, et per totum iter residuum de die, inter arduos montes accesserunt civitati magnæ Narbonensi, unde patria Gallia Narbonensis nuncupatur. Ista civitas fortis et bene murata habuit ecclesiam magnam cathedralem sancti Justini, item eximium castrum episcopi, et turrim fortissimam pro vicecomite illius villæ. Habuit etiam suburbium vocatum Burgum, revera majorem et melius ædificatum quam illud de Carkasona. In burgo fuerunt quatuor conventus religiosorum mendicantium. Inter burgum divitem et largum atque civitatem optime muratam, currebat aqua quæ vocatur Aude, veniens a Carkasona, et descendens in mare Græcum, quod duabus leucis distat a Narbona. Inter civitatem et burgum sunt duo pontes petrini et tertius de merennio, altero petrino pro vecturis diversorum mercimoniorum bene ædificato. Princeps in domo fratrum beatæ Mariæ de Carmelo fuit hospitatus, sed per totam noctem et in crastino sequenti civibus cum

exercitu balistis et aliis machinis dimicantibus, multis ex utraque parte sauciatis, nonnulli interierunt. Die Martis burgo per ignem inflammato, per cararias ardentes, exercitus profectus ad torrentem, ipsum in pluribus locis transmeavit, in quo transitu duæ quadrigæ domini principis fuerunt per cives defractæ, et ad magnum damnum deprædatae. Princeps hospitatur ad villam et castrum de Ambian. Die Mercurii, scilicet in festo sancti Martini, per longum iter et malum, sed equis præcipue nocivum, quia petrosum, et sine aquis vel aliis etiam victualibus, equi pro aquis potarunt vinum, et in vino cibus cocctis, nihil liquidum nisi vinum aut oleum reperiebatur. Die Jovis Theodoricus Dale, ostiarius cameræ domini principis, fiebat miles, et transierunt bonam villam vocatam Ulmes, ubi præcedenti nocte fuerunt hospitati officarii comitis Arminiensis, media custodia ad bonam villam comitis de Insula, vocatam Aryle hospitata. Princeps apud fratres Minores pernoctavit, ubi magna abundantia vini muscati pro comitissa de Insula in cellariis reposita, fuerat vastata. Illo die fuerant destructa bona villa de Pypions, et ejus castrum vocatum Redote, et discooperatores inimicorum capti retulerunt quod Francorum constabularius et comes Arminiensis in eadem villa, ubi exercitus pernoctavit, intendebant pernoctasse. Die Veneris exercitus pro-

fectus per longum iter petrosum et inaquosum, hospitabatur apud Lamyane, sed male pro penuria domuum et aquarum. Sabbato revertentes versus Gasconiam, reliquerunt a dextris piscinam de Esebon, et Carkasonam et totum iter pristinum, et retrocustodia hospitabatur apud bonam villam vocatam Ali-eire, et media apud Puchsiaucies, ubi turris defensa fuit conquisita, sed princeps jacuit ultra pontem, juxta pulcrum rivum aquarum, ex cujus utraque parte patria ignibus vastabatur, cum bona villa de Pezence, ubi prima custodia fuit hospitata. Dominica, die sancti Macuti, intraverunt per patriam pulcram, longam et latam, itinere magno, et exercitus acceleravit ad hoc, quod princeps foret hospitatus in abbacia magna beatæ Mariæ de Prolian, ubi in distinctis claustris vivunt de possessionibus 100 Prædicatores, et 140 dominæ reclusæ, vocatæ Prædicatrices, ubi dominus princeps in spiritualem confraternitatem domus cum multis aliis devote fuerat receptus. Illo die exercitus succendit inter cætera villam de Lemoyns, ubi fuerunt conventus quorumlibet fratrum, majorem Carkasona, et pulcrum oppidum vocatum Falanges, cui pertinebant 21 molendinæ ventosæ, et villas de Vularde et Serre, cum tota patria. Die Lunæ media custodia hospitabatur apud bonam villam vocatam Ayollpuhbone, diu defensam, sed conquisitam per insultum; cujus castrum ad

extremum se reddidit, quibus princeps jussit nihil noceri per ignem, ratione comitis Fluxensis, cujus dominio pertinebant. Mane diei Martis, transeuntes sed districte flumen vocatum Besyle, intrarunt patriam nimis vastam, sed circa horam primam venerunt coram grandi monasterio ordinis Cisterciensis, fundato per album comitis Fluxensis, vocato Burgbone, ubi comes præfatus, major scilicet totius linguæ Doxitanæ, obviavit cum magna lætitia domino principi, evasus de carcere coronati Francorum, in quo Parisiis jacuit duobus annis, et mansit ex tunc cum principe fidelis. Tunc erat prædictus comes juvenis, ætatis quasi viginti unius annorum, necdum miles extiterat. Illo die equitarunt in dominio illius comitis per villas de Maselle et Calmon, quam dividit aqua, ex cujus parte ulteriori fuit antiquitus castrum destructum, et dimiserunt a dextris magnam villam de Seint Canele, et arduum castrum vocatum Hautripe, quæ sunt Gallicorum, sed illo die nihil incenderunt propter reverentiam comitis præfati et suæ victimæ, immo transierunt iterum aquam periculosam de Arage, sicut prius in die sanctorum Simonis et Judæ. Præterea Tolosam prius per unum milliare a sinistris dimissam, tunc per quatuor leucas a dextris, intactam reliquerunt, et media custodia fuit hospitata in magna villa de Miremont, quæ cum castro fuerat combusta. Die Mercurii

transierunt per castrum comitis Fluxensis, vocatum Mounthaut, ad cujus pedem equites singuli successive, cum stupore illorum de patria, transierunt aquam magnam de Geroude, ubi continue per totum annum sunt navicellæ paratæ pro transitu indigenarum, quæ tunc ad exercitus impedimentum per villanos vicinos de North fuerant subtractæ. Aquam de Geroude cum gratia Dei pertransitam, relatione castellanorum nullus potuisset pertransivisse post inundationem pluvie diurnæ, unde ejus transitus Dei virtuti juste fuerat ascriptus. Præfata villa de North fuerat per insultum conquisita, in cujus castro reddito retrocustodia pernoctavit. Ex tunc dimiserunt rivum de Geroude a sinistris, contra cujus cursum adiverunt villam de Markonaw, quæ mirabiliter fuit conquisita: transivit enim iterum ibidem aquam prædictam cum admiratione villanorum media custodia, et tunc ad fortem villam de Carbone, muro ex una parte, et aqua ex alia bene munitam, tamen ante adventum principis per insultum conquisitam, ita quod hospitium præbuit victoribus, principe ad extra, ut ubique fere solebat, hospitato. Die Jovis, tempore quieto et delectabili, quievit exercitus ad magnam recreationem post labores diebus pristinis continuatos. Die Veneris certificato quod Gallici in acies quinque magnas fuerant divisi, progressi, de prope existentes, nostri ad spatium

unius milliaris de hospitio seipsos in campo apto ordinarunt ad proeliandum. Itaque exercitu ordinato, quidam suscitatum leporem exclamarunt, quod audientes inimici miserunt 40 lanceatos, per quos viso exercitu ordinato reversosque celeriter hæc nuntiantes, omnes fugerunt cum magno pavore, sicut retulerunt capti ex eis in persecutione. Illo die Bartholomæus de Burghasche, Johannes Chandos, et Jacobus D'Andeleye, ad summam quater viginti lanceatorum ordinati discooperatores, accedentes ad caudam exercitus Gallicorum, captivarunt triginta duos milites et domicellos, et inter eos dominum comitem de Romenie: item multos bigarios occiderunt, destruentes eorum victualia. Sero principe hospitato in villa de Muwos, quatuor Gallici armorum Anglicos fugitivi in ecclesiam illius villæ, equos et arma duntaxat perdiderunt. Sabbato pluvioso carpserunt malum iter et strictum ad castrum de Oradrie, in quo princeps pernoctavit, et mane id combussit. Dominica, die sanctæ Cecilie, transita grandi via, circa vesperum perceperunt quod hostes fuerunt ex altera parte grossi montis, juxta et infra villam de Gemount, ita quod Anglici tardati usque ad mediam noctem, emiserunt interim sexaginta lanceas cum sagittariis ad dexteram villæ de Auremont, ubi inventos 440 viros armorum constabularii Francorum, compulerunt villam evacuare, quibusdam oc-

cisis et captis nonnullis in persequendo usque Gemont, ita quod media custodia apud Auremont hospitata non bene, prima custodia apud Celymont, parvam villam ab hostibus uno milliari distantem, pernoctavit. Mane diei sancti Clementis, jussis bigariis et officariis remanere in villa de Auremont, cæteri pugnantes in cohortes divisi hostes in campo expectarunt, sed incassum, nempe dominus princeps villam de Gymont discooperuit, et invenit quod hostes circa mediam noctem aufugerunt, ita quod respectione armorum fuerant disconfecti, præsertim quum sui adversarii, scilicet Anglici, ipsos per itinera longa et mala diu quæsitos et pluries e vicino repertos solo terrore profectus fugaverint. Die Martis post longum iter in campis hospitati, quod defectu aquarum potarunt equos vino, unde in crastino debriati non poterant recto passu incedere, et multi ex eis perierunt. Die sanctæ Catharinæ cum districtione magna præterierunt aquam, ubi sperabant inimicis obviare, et dimittentes a dextris villam Florenciæ muratam, aliquando Anglicam, transierunt grandem villam de Silarde, et media custodia fuit hospitata apud oppidum de Realmont violenter conquisitum, et ideo combustum. Die Jovis perendinarunt, et captus errantius armorum, retulit quod inter constabularium Francorum et comitem Aminiacensem lis non modica fuit exorta,

pro eo quod comite promittente bellum ad illorum utilitatem ineundum, nihilo facto cum dedecore pluries fugerunt, quod eidem comiti fuit imputatum. Die Veneris transierunt, sed districte, magnam aquam, et residuo diei inter villas muratas et castra fortia, media cohorte in villa de le Serde hospitata. Istam villam, una leuca distantem a bona villa de Condone, dux Lancastriæ quondam vastavit, et ejus castrum dirupit atque solo coæquavit. Sabato quadam aqua cum districtione transmeata, intrarunt strictum passagium silvestre, ubi multi Gascones et omnes Bernenses, habita licentia repatriarunt, et fuit exercitus hospitatus ad bonam villam pacis et fortem, quæ semper fuit Anglicorum, vocatam Mesyn, quo die vexillis complicatis, ut in solo pacis, princeps decrevit itinerandum. Dominica, in vigilia sancti Andreæ, princeps quievit, recepturus homagium et sacramenta illorum de villa. Feria secunda, die videlicet sancti apostoli, itinere longo per vastam solitudinem devenerunt ad villam de Gelons, ubi sunt tria castra, uno illorum in marisco situato. Die Martis principe ad castrum de Melan, quod tribus leucis distat a castro Gelons, hospitato, plures de suo hospitio, transierunt patriam silvestrem et vastam juxta monasterium Cisterciense vocatum Montguilliam, et trans forestam regis Angliæ nuncupatam Bois major, ad villam de Regula grandem et bene



munitam, quam comes Derby dudum conquisivit, ut est supra tactum, et infra octo hebdomadas a captione villæ, castrum redditum suscepit. Die Mercurii dominus princeps advenit Regulam, cujus equi et quadrigæ transierunt flumen de Geroude in loco, ubi nunquam antea memoratu aliquis equus transmeavit. In Regula concilio principis consulto, ordinati fuerunt principes et barones ad hiemandum in distinctis locis super Marchiam, patriam intrinsecam Gasconix contra versutias Gallicorum protecturi, qui a locis eis deputatis et sapienter custoditis, crebro digressi, multos egregios labores superarunt, nec minus prædas opulentas ab hostili patria detulerunt in sustentationem armatæ juventutis, et ditationem patriæ devotæ, de quibus singillatim sine dispendio non potero tractare.

ANNO Domini 1356, regni regis Angliæ 30, circa præactam dispensationem princeps novam auream monetam in Gasconia fieri diffinivit. Ipso quoque circa reparationem ditorum et alia multa conservationi reipublicæ sapienter occupato, timidæ phantasix Galliarum finxerunt et ventilaverunt fama querula, quod dominus rex Angliæ in Neustriam applicuisset, cujus figmenti occasionem vel somno ceperunt, vel ex eo quod dominus dux Lancastriæ, postquam inforciavit victualibus et armis munitiones et castra regis Navarræ, in insula Constantina et in multis aliis locis,

Normanniæ direxit iter suum versus Britanniam, cujus fuerat capitaneus constitutus de novo, vel aliter ut creditur, putabant vulgares regem Neustriam petiisse, pro eo quod anno præstito dominus Philippus germanus regis Navarre venit in Angliam ad præsentiam regis et instanter petivit auxilium, quo posset detinentibus regem fratrem suum vinculatum nocere, et prædia jure debita prædicto fratri suo, sed minus juste detenta, bellica manu recuperare. Igitur offerens homagium et jurata fidelitate, recepit ex ordinatione regis dominum Milonem de Stapiltone, virum magnæ probitatis et miræ devotionis ad virginem beatam, sed bellicis negotiis experientiis egregiis instructum, collegam fidelissimum laboris optati. Prænominati viri bellicosi cum duobus millibus togatorum Neustriam profecti, patriam transequebant, capientes oppida murata et alias munitiones, et nonnullis igne consumptis, aliis deditis et redemptis, processerunt usque ad castrum quoddam, quod novem leucas duntaxat distinguitur a civitate Parisiensi, nec a tanto labore vacare curabant quousque treugis initis, annali proximo dicendis, in Angliam redierunt. Igitur fama plena terroris populares aures Galliæ percussit, quæ ad auditum domini principis apud Regulam demorantis erat ventilata, et viscera piissimi principis commovit ægre ceu nullatenus potentis sufferre sui patris salutem Martis am-

fractibus implicari, dummodo non esset præsens, et posset communicati laboris et ambiguae fortunæ duras seu molles sarcinas conferre. Proinde congestis copiis, quas habuit secum in ducatu, cum intentione trans Franciam cupitis osculis paternis se præsentare, venit ad Brugeracum, ubi certificatus comitem Arminiaci voluisse post ejus recessum patriam depopulasse, et ad hoc militia copiosa stipatum nec imparatum fuisse, remisit ad patriæ tutelam senescallum Gasconiæ et dominum Bernardum de Libreto, majorem quoque Burdegalensem, simulque cum eis alios Gascones et magnam classem togatorum. Exinde processit princeps in Franciam, directus per plagas Limonicensem et Bernensem. More boni antistitis suos hortabatur principes progressuros in hostes, non inermes palare, sed corpora corporeis armamentis et animos pœnitentiæ Eucharistiæque sacramentis ita decorari, ut contra rebelles regiæ paci dimicaturi parati forent, honore temporali viventes, et æternali morientes, at utrobique vincentes præmiari. Nec prætermisit artes prudentis imperatoris cujus refert exitus rerum metiri, et præcavere pericula suorum; sed præmissis illustribus viris Joanne Chaundos, Jacobo D'Audeleye et eorum complicitibus in arte tironica sufficienter expertis, ad discooperiendum statum patriæ hostilis, ne forsans insidiæ imboscatorum nostris improvisis repente prosiluissent,

ipse curavit prospectis itineribus quotidie movere castra, nec aliter quam si hostes adfuis-  
sent, de nocte munire, vigiliis sollicitas con-  
stituere, et eas ipsum valentioribus comitan-  
tibus circuire, procedentia vero quandoque in  
primis, alias in postremis et nonnunquam in-  
termedios visitare, ne quicquam inordinatum  
periculo pateret. Siquidem ingresso Picta-  
viam, nuntiarunt exploratores quod coronatus  
adunavit exercitum copiosum præsens apud  
Aurelianum, quem non lateret principis ad-  
ventus, ut patuit de facto. Emisit nempe dis-  
cooperire exercitum nostrum valentem quem-  
dam qui vocabatur Griseus Micco de Chambli,  
præfectum comitivæ ducentorum togatorum,  
quibus manus conserentes nostri discoopera-  
tores, ceperunt ex eis 30 milites et vernaculo-  
s, aliis ita plene deletis, quod per nullum  
eorum poterat suis renuntiari quid fuisset de  
sociis factum. Fortunatis nuntiis nostri de-  
lectati processerunt versus Romerentyn, ubi  
reptos dominos de Crone et Brisegaudum  
missos ad officium discooperiendi tam præci-  
pitanter occuparunt, quod multis ferro vas-  
tante peremptis, duces agminis ad castrum  
fugere compulerunt et captatis hospitibus in  
villa, princeps jussit præconizari crastinum in-  
sultum castellanis applicandum. Die sequenti  
aggrediuntur armati nostri, fovea transita,  
muros castri, quos scalis ascendere seu por-  
tas comburere per diversa diversi festinarunt;

nec frustra, ingressi quippe necuerunt agmina multa Quiritum, dum præfati domini cum militibus non paucis ad arcem principalem convolarunt. Illico princeps jussit proceres convenire consultum, ne satius declinaret fugatos, an obsidione vallatos cogeret ad deditionem. Sed quia compertus est coronatum Francorum non amplius decem leucis ab ipso loco distinctum, consultius dijudicans immotus exspectare coronati feritatem præliaturam quam quærere forsitan non exspectaturam potentiam, cum qua summe concupivit consecrere manus bellatrices, æstimans præterea quod obsidio congesta provocare deberet Gallicos ad ejus demolitionem, finaliter sententiavit se non recessurum de loco subacto quousque conclusi forent capti seu dediti, nisi forte bello certare cogeretur. Proinde jussu principali fabricatis denuo machinis petrariis et testudinibus pro securitate fossariorum, certis officiis suis intenti tectum turris et propugnacula sphaericis saxis protriverunt, et in aggerem, qui præbuit arci fundamentum, sudore fossariorum concavatum, submiserunt ignem, quo merennio combusto quod pro tempore laboris effodientium molem capitibus eorum imminentem vix sustinebat, falso fundamento moles obnixa fuisset prolapsa. Tantis periculis impotentes obsessi salutem suam contueri, suppliciter obtulerunt sui deditionem, qua plenariter ad voluntatem prin-

cipis ordinata, diem sextum prævenerunt. Postea redierunt exploratores nuntiantes quod coronatus Francorum descendit Turoniam castrorum acies ordinaturus; unde princeps, avidus belli propter pacem quæ solet bellum comitari, adversus coronatum castrâ direxit sperans, ut quondam in Garona, sic in Ligeri vada nova reperire; sed inundatione pluviarum Ligere suos alveos insolenti timore præterfluente, non permisit aqua nostros ipsam transvadare, et in augmentum impedi- menti, omnes pontes inter Blaniam et Turo- niam, quibus interfluit Ligeris unda, frangi jussit coronatus, ne inter principem et ducem Lancastriæ usquequaque via pateret, quorum exercitus ignes alternos de nocte facilliter as- piciebant. Princeps vero Ligerim sequens lateraliter versus orientem progressus, fixit tentoria juxta Turoniam, ubi expectans qua- tuor diebus, sperans coronatum una leuca distantem præliaturum, intellexit quarto die quod coronatus ad Blaniam 10 leucis a tergo principis præterioratus per pontem, duobus oppidis munitissimis intersituatum, Ligerim transivit, atque versus Pictavium appropi- avit. Ea coronati declinatione principi com- perta, princeps revertebatur festinanter inten- dens iter coronati præoccupare, quod non fecit. Attamen viam transversam et imagi- natione viciniorem trans torrentes tres arri- puit, et caudam legionis hostilis ita violenter

insequens occupavit, quod rapuit ab ipsa duos comites, scilicet de Juyny et de Wanterre, atque marescallum Burgoniæ. Istis domitis et salutis pretio reservatis, perierunt inopino duro certamine, numero magno viri togati; et hæc per diem Sabbati, proximum diei belli sequentis, contigerunt. Nocte properante in quodam nemore nostri quieverunt, et in crastino versus territorium Pictaviense progressi, comperti sunt, relatu discoopertorum, quod coronatus castris ordinatis se præparavit ad bellum ineundum, nec multum post hæc asserentes alii discoopertores coronatum promovisse castra versus nostros, consuluerunt dominum principem locum certaminis eligere, et exercitum ordinare, ne inordinatos hostes ordinati reperirent. Statim princeps et omnes alii secum pedites consteturi, dextrarios et equos tutelæ garcionum commiserunt, ad hostium venationem resumendos; pauci tamen inter exercitus equitarunt, parati secundum morem hastiludiis guerrariis. Prima cohors exercitus nostri comitibus Warewici et Oxoniæ committebatur, secundæ princeps imperabat, et tertia comitibus Saresburie et Suthfolchiæ committebatur. In toto exercitu domini principis fuerant præcise quatuor millia togatorum, mille servientes, et duo millia sagittariorum. Appropiavit pompatica nobilitas Gallicorum, parvi pendens Anglicorum paucitatem, illorum enim multitudo contine-

bat octo millia virorum militarium, nullo ser-  
vientium numero taxato, sub quater viginti  
et septem vexillis. Tunc multi de nostris  
murmurarunt pro eo quod pridem ad tutelam  
Gasconiae remissa fuit magna pars exercitus  
nostri primo congregati. Erat inter Gallicos  
quidam Scotus supra notatus Willelmus  
Douglas, potens in Scotia, et Scotica guerra  
duris laboribus exercitatus. Illum coronatus  
de uno dotavit cingulo militari, et quia scivit  
ipsum atrocem adversarium Anglicorum et  
adversus ipsos in armis plurimum vexatum,  
libenter audivit ejus consilium et ingenio con-  
fidebat. Willelmus præfuit ducentis viris ar-  
morum Scotis, quos de patria sua conduxit :  
istos non latuit quod per totum tempus mo-  
derna regis Anglorum maxime consueti sunt  
Anglici pugnare pedestres, in quo Scotos sunt  
imitati, a discrimine Strivilinensi. Idcirco  
placuit Willelmo pro more suæ gentis, potius  
pede quam equo nostros invadere, et instiga-  
vit coronatum aliosque Francos, consimiliter  
præliari. Sano . . . . patantiæ consilio et  
foedæ vecordiæ proscriptorum coronatus an-  
nuens libenter, dextrarios emisit in civitatem,  
ne fugæ velocitatem darent alicui, præter-  
quam quingentos ferro contra sagittas cooper-  
tos, quorum assessores jussit invadere sagit-  
tarios in principium certaminis, et prostratos  
calcaribus equinis conculcare, qui præceptum  
non perfecerunt, ut patuit eventu. Utriusque



dispositis aciebus, aurora Dominicæ lucis rutilante, venit ad principem quidam cardinalis Petragoriensis, et adjuravit eum per honorem Dei passi crucifixi, et amorem Virginis matris ejus, reverentiamque pacis ecclesiasticæ, atque parcitatem effusionis sanguinis Christiani, quod placeret sibi bellum suspendere per tempus quo posset tractare de pace, quam promisit futuram honorabilem per suam intercessionem, si tamen intercedere permitteretur. Princeps vero nulla penitus tyrannide tactus, nec bellum timuit nec pacem recusavit, sed præfati sancti patris petitioni modeste condescendit. Unde per totam illam diem reparationi pacis assignatam, crevit exercitus Francigenum mille viris armorum et popularium ingenti multitudine. In crastino, scilicet die Lunæ, rediit cardinalis petens ex parte coronati treugam annalem, quam negavit princeps, tamen ad cardinalis magnam instantiam concessit treugas adusque festum Natalis Christi duraturas. Reversus itaque cardinalis poposcit a coronato pacis inducias, juxta concessionem domini principis concedendas, cujus petitioni, marescallo de Claremonte concessum coronati admonente, objecerunt se marescallus Dawdenam, Galfridus de Charny et Douglas Scotus, quibus coronatus vehementer animum inclinavit. Isti prognosticarunt quod de communi cursu rerum non possent Anglici pro tunc prævalere,

quum præsertim pauci, ignota patria et itineribus laboriosis miserabiliter fatigati, contra numerositatem Quiritum Gallicorum proprium solum defensuram, et omni victuali necessario, quieteque diutina sub duce provido recreatam, quibus deberet audacia crescere contra prædones ex præsentia regali, gratia cujus quatenus coronati et oleo sancto peruncti, tunc primum foret experienda, cum benedictione venerabilium episcoporum Senonensis et Chalonensis, sub ipso rege militantium, in oppositum cujus adnites, tenderent ad læsionem regiæ majestatis. Percepto tandem quod coronatus allegationibus hujusmodi consentiebat, marescallus de Claromonte protendit sacerdoti cuidam literas apostolicas, auctoritate quarum confessus et absolutus in ostensione suæ fidelitatis, quam minus illo providi blasphemarunt, pro eo quod suasit treugas iniri, petiit belli primum insultum, quem marescallus Dawdenam calumniis legitima præscriptione fulcitis, sed veraciter invidiose nitebatur præoccupare. Ergo marescallis altercantibus, et reliquo reliquum posteriore nitentibus, princeps, audito per nuntios cardinalis quod dux Francigenum nullam penitus pacem volebat, nisi furore Martis adeptam, exorationem tali consimilem militibus accitis peroravit. "Comperior, socii commilitones, quod post apparatus militiæ prompte sua tueri, et justa neganti mucrone nudato præcipere, suspensio

virtutis militaris antecedentis periculum solet conducere, dum mora docet hostes cavere, novas machinationes providere, et incremento potentiæ seu foeda fuga suis consulere, amicisque paratis egregie facere tempore frigescit ardor pristinus præliandi. Igitur de cætero mora spernenda, cujuslibet animus actu prodat innatam seu moribus præditam magnanimitatem, nusquam fuga nos poterit tutare; libera via ferro captanda est, et hostium sanguine durisque laboribus comparanda; nam talibus donis promereri cupit prospera fortuna. Contra sæpe victos a vobis pugnaturi memineritis vos divitias, decus, gloriam et omnis virtuosi militis amicitiam, et perpetuandum celebre nomen in dextris vestris portare. Præterea quod pacem vitamque gloriosam, quam cum liberis et uxoribus senio felici concupiscitis habere, non nisi victores poteritis bello commutare. Considero quod solum, quo pugnaturi sumus, antiquati juris hereditarii munimento, progenitoribus meis regibus Angliæ pertinebat, etiam nobis pertinere deberet, quod cum justitia paternæ causæ quam nostis, et necessitudine mortem, carcerem, dedecus, et paupertatem devitandi, et insuper vestra virtus assueta cum paucis multos superare. Durum quoque Martis jugum sine deliciis jucunde tractare, contra licet multos tamen delicatos Francos, magnam spem triumphandi mihi facto et in vobis rationaliter

debet generare, quod si virtuti cujuspiam viri mors aut et sors sint, quod absit, prævalituri, cavete ne vitam pro nihilo perdatis inultam, sed more virorum, nedum victi sed vincentes, finem honestum subeatis, ne captivi sicut pecora traducamini longa morte mulctandi. Et cogitate quod pro justitia, quam prosequimur, constanter agentes, sive vivimus sive morimur, Domini sumus, in qua qui perseveraverit usque ad mortem, salvus erit, quam qui patiuntur propter justitiam, ipsorum est regnum cælorum.”

His verbis virtuosos animos heriles arrectos magnifice de exteriori facie conspicatus, prudens imperator ad sagittariorum clientelam conversus, tali oratione confortavit eos. “Virtus fidesque vestra satis comprobatae sunt mihi, qui multis et magnis tempestatibus ostendistis vos non degeneres filios, et consanguineos eorum, quibus, sub ducatu patris mei prosatorumque meorum regum Angliæ, nullus labor erat invincibilis, non locus ullus præasperitate immeabilis, non mons arduus inaccessibleis, non turris firmitas inacquiribilis, non exercitus impenetrabilis, non armatus hostis formidabilis. Illorum vivacitas Francos, Cyprios, Syracusanos, et Calabrienses, atque Palæstinos domuerat, et indomabilis cervicis Scotos et Hibernicos, patientissimisque laboris Wallicos subegit. Res, tempus, pericula, ex timidis fortes, et ex obtusis inge-

niosos facere consueta, honos insuper amoque patriæ, Gallorum quoque spolia magnifica magis quam oratio mea, vos hortantur patrisare. Signa sequamini, præceptis ducum vestrorum animo et corpore penitus intenti, ut si vita cum triumpho fuerit nos comitata, firmas amicitias in id, *idem semper velle seu nolle* perpetuemus. Cæterum, si sors invida, quæ desit, in universæ carnis viam finalem nos instanti labore propulerit, non suspendia debita scelestis nomina vestra profanabunt, sed communiter eundem cyphum isti generosi mei consortes, et ego vobiscum potabimus, quibus vincere Franciæ nobilitatem erit gloriosum; vinci vero, quod Deus avertat, non periculum turpe, sed animosum." Talia dicens, prospexit quod erat e vicino lateraliter mons quidam sepibus et fossis a dextra redimitus, ad intra vero distinctus, quippe ex una parte pascuus, et ibi dumis condensus, ex alia vero vineis consitus, et ex reliqua sationalis, in cuius jugo sationali cohortem Francorum perpendit residere. Inter nostros et montem erant ampla profundaque vallis et mariscus torrente quodam irriguus. Ad satis angustum vadum principis turma cum cariagiis torrentem præterivit, egressaque vallem trans sepes et fossas, occupavit collem, ubi inter virgulta faciliter occultabatur loci munitione, hostibus altior incumbens. Campus, in quo residebant nostræ prima secundaque custodia,

distinguebatur a planitie quam occupavit exercitus Francicus, sepe longa subterfossata, cujus alterum extremum declinavit in mariscum præfatum. Declivum marisco incumbentem tenuit comes Warwicensis, dux et moderator agminis primi, in superiori parte sepis a declivo bene remota fuit temesis quædam patula vel hiatus, quem bigarii fecerunt in autumnno, a quo remota jactu lapidis, stetit nostra tertia turma, cui comes Saresburiensis præsidebat. Hostes videntes principis vexillum nuper manifestum, sed incipiens successive dimoveri objectuque montis illorum oculis occultari, æstimarunt principis fugam, reclamantibus Dowglas Scoto et marescallo de Claromonte, non ita fore, sed opinione sua deceptus marescallus Dawdenam, ut insequeretur principis fugam putativam, et cum illo Douglas, ut promeretur novæ militiæ fulgidum nomen, sed Claromontanus, ut expurgaret blasphematam fidelitatem, vehementer progrediuntur, illis enim erat prima custodia deputata. Istos præcesserunt, ut moris est, hastiludiaturo, quibus de prima custodia nostra sub declivo cui residerant, obviaverunt equites nostri ad hastiludia specialiter ordinati. Hastiludiorum finem visurus, suspendit suum aggressum marescallus Dawdenham, interim vero Claromontanus sperans progredi per temesim sepis, et primam nostram cohortem a tergo circumvenire, obvium habuit comitem Sares-

beriensem, qui prospiciens Claromontanum venientem, prudenter suspicatus est ejus intentionem, et ita qui posteriori nostræ custodiæ præsidebat, ut temesim celeriter occuparet et hostes a transitu per illas arctaret, primam ingruentiam belli sustinebat. Tunc armatorum oriebatur dirus congressus lanceis, gladiis atque securibus dimicantium, nec officia sua sagittarii prætermiserunt, sed insistentes aggeri tuto supra fossam, et ultra sepem, coegerunt sagittas armis militaribus prævalere, quarellas quoque balistariorum crebrius et profusius evolare. Itaque nostri, tertia cohorte superius ad temesim viriliter hostes mactante, primaque classe subterius in declivo et juxta mariscum, sub comite Warwici Gallos obvios prosternente, sagittarii primæ cohortis fuerunt in marisco, securi ne invaderent eos equites, modicum tamen ibidem valuerunt. Equites enim, sicut tactum est, ad sagittarios conculcandos, et suos a sagittis protegendos, instantes juxta suos direxerunt sagittariis pectora laminis chalybis et scutis nervinis ita solide contacta, quod sagittæ directæ aut in minutias ad durum objectum fuerant protritæ, vel reflectebantur in Olympum, in exitium dubium hostis vel amici ruituræ. Hoc perpendens comes Oxoniæ, descendit a principe et sagittarios ductos in obliquum jussit ad equorum pectora sagittare, quo facto, saucii dextrarii calcitrarunt et insi-

dentes eis proruerunt et contra suos reversi, stragem non modicam intulerunt eorum dominis, alium tamen finem machinatis. Abactis itaque dextrariis sagittarii suo loco priori repetito latera pugnancia Francorum directo jactu terebrarunt : continuatur horrida Martis insania decertantibus Warwicensi Saesburiensi que leonibus, quis eorum profusiori sanguine Franco terram Pictaviensem debriaret, armaque propria calido cruore gloriaretur maculari. Nec ab opere suo vacavit sapientiæ militaris domicilium singulare, strenuis actibus a juventute in provectam ætatem decoratus, Thomas Dofford, merito consul Suthfolchiensis. Ipse per agmina singula currens, singulos hortans atque confortans ad benefaciendum, cavebat ne juvenum fervor animosus inconsulte progrediretur, aut sagittas arcitenentes inutiliter dirigerent, et reverenda sua voce animis fervidis addidit ignes. In conflictu fortiter agentem mors non inulta Claromontanum nec deditioem nec fugere dignantem, rebus humanis exemit. Sed illum Dawdenam deditum virtus prævalens subegit, Willelmusque Douglas sauciatus aufugit, paucos quoque suæ comitivæ Scotos cum Archibaldo fratre suo secum reduxit. Illos enim atrox furor bellicus omnes fere delevit, cæterosque cunctos illius custodiæ viam mortis honestæ, vel fugam necessariam, demptis redimendis captivis, inire coegit. Sed ne victores nimium prosequerentur.



rentur fugitivos, duces nostri providebant, æstimantes non decepti, quod fortunato belli principio labor egregius succederet, post accessum exercituum futurorum. Proinde nostri se resarcierunt, et prima secundaque nostræ custodiæ pariter se glomerarunt. Nec mora, progreditur acies altera Gallicorum, quam produxit primogenitus coronati Francorum, puta Delphinus Viennensis. Apparatus hujus aciei fuit terribilior atque vehementior quam facies belli primitus repressi, non tamen potuit terrere nostros avidos honoris, et exasperatos seipsos aut socios prius sauciatos vindicare, sed audacter utrinque congregiuntur, ad astra tonante tumido boatu, sanctum Georgium seu beatum Dionysium arbitrum belli fore favorabilem proclamant. Mox in virum vir debacchatur et pro vita quisque decertat obvio mortem propinare, nec rapidius foeta læna lupum sternit, tigrisve terret, quam generosi nostri togati confuderunt aut fugarunt armatos hostes, et quamvis diutius ista priori turma nostris resistebat, tamen post stragem magnam suorum, talem sapientes inierunt cautelam, qualem non fugam sed pulcram retractionem invincibiles ore Galli sunt assueti vocitare; nostri vero considerantes quod gratia campi fuit ambigua, quamdiu coronatus cum suis copiis affore posset, quodque vicina valle lateret, noluerunt proinde persecuturi fugientes cedere

campo. Hoc non perpendit dignus illustribus parentibus heros, dominus Mauricius de Berkeley filius Thomæ, qui per totam principis expeditionem hiemalem ad vexillum suos ducens, inter præcipuos atque primos primo cornu belloforontum nunquam deficit sua sponte, hac hora solito cum primoribus hostes invadens, dignos æternis laudibus actus contra Gallos fulminavit. Hic Delphini satrapis mixtus, et in eos sæviens armata manu, non putabat fugere Francos quamdiu vidit illos erectos, et ad anteriora totus intentus, suos nequaquam respiciens a tergo, nec contemplans in aere signa, solus persequabatur securam militiam magni Delphini, contra quam lancea, deindeque gladio et cæteris armis invasivis virilitate sæva confractis, tandem multitudine solus stipatus horride sancius ac vivus raptus, pretio salutis reservatus est. Interim nostri suos vulneratos sub dumis et sepibus applicabant, alii lanceas atque mucrones, suis contritis integriores, a devictis rapiunt, et arcitenentes extrahere sagittas a miserrimis semivivis festinarunt. Non erat aliquis enim vulneratus aut eximio labore fessus, devictis solis quadringentis, qui vexillo principali subservierunt ad obviandum coronato, suæque militiæ reservati. Delphino taliter profugato, quidam campi contemplator ad coronatum venit, ita dicens: "Domine, campus Anglicis cessit, et dominus meus ves-

ter primogenitus se retraxit." Cui respondens coronatus, inviolabili suo sacramento juravit, quod non illo die foret campum deserturus, nisi captus vel occisus, et ita violenter abductus. Ergo jubentur vexillarii procedere, quos subsequuta numerosa nimis armata manus, a valle secedens in campo spatioso nostris obtutibus se præsentavit, et incussit desperationem vincendi in tantum, quod quidam magnæ probitatis astans principi sic ejulavit: "Heu victi deficiemus," quem, fiduciam ingerens in Christo Christiferaque virgine Maria, dominus princeps sic redarguebat. "Mentiris" inquit, "pessime vecors, si me vivum posse vinci blasphemaris." Non sola nostros multitudo terruit hostilis, sed consideratio nostræ facultatis notabiliter pejorata. Cum hoc enim quod multi de nostris sauciati necessario vacabant a conflictu, cæteri fere cuncti fuerunt nimis fatigati, et sagittarii sagittas suas expendiderant. Præterea capitaneus de la Busche, vir eximiæ probitatis, ubi primum vidit progredientia castra coronati, petita principis licentia, recessit cum sexaginta togatis et 100 sagittariis, quem de nostris multi putarunt au fugisse. Ea propter nostri, ducibus exceptis, de victoria desperantes, Domini se totos commendarunt, et vitam quasi nihil appreciantes, solum cogitabant ne morerentur soli vel inulti. Tunc princeps jussit suum signiferum

dominum Walterum de Wodelande, versus hostilia signa se movere, et cum paucis suis recentibus obviam dedit exercitui magno coronati. Ilico classica sonuerunt, nam tubæ lituis et musicis cornibus atque naquiriis responderunt, et Pictaviæ saxa muralia silvis echo resonarunt, unde putasses montes vallibus mugisse, et in nubibus tonuisse. Tantis tonitruis fulmina dira non defuere, dum radiantibus aureis armis lux scintillat, et de polito chalybe coruscant hastæ volantes, quarum cuspides fulminis instar, obvia findunt. Tunc turba minax balistariorum densa caligine quarrellorum tetram noctem campo reduxit, quam reverberat imber letifer sagittarum, quas emisit Anglica phalanx, pubes furore quasi desperans agitata. Evolant etiam pila fraxinea, dum se salutant eminus hostes, ac Francorum cohors stipata densis catervis protegens pectora sub umbonibus seriose nexis, a volatilibus ora declinat, unde sagittarii, pharetris incassum evacuatis, peltibus et gladiis duntaxat armati, graves armaturas invadere docentur, a libidine fervente vendere mortem, quam putabatur illum diem se finituros. Tunc fremit instans Walliæ princeps, Gallos mutilans mordaci spata, lanceas truncat, ictus reverberat, nisus adnihilat, lapsos sublevat, et docet hostes quam furiosa sit desperatio sub toga Martis. Interim capitaneus de la Busche graditur iter obliquum, sub declivo recedens a monte quem

cum principe nuper dimisit, et occulte girans campum, venit ad locum submissum primæ stationis coronati. Exinde conscendit altiora campi per viam Gallicis ultimo tritam, sic quoque subito prorumpens ab occulto, per veneranda signa Georgica significavit nobis amicum. Tunc verecundia principis pugnat aciem Gallicam dirumpere, priusquam capitaneus fuisset aggressus latus belli, quod sola Gallica terga tutarunt. Ergo

Præcipiti nisu vesanum principis agmen

In densos agitur cuneos, perque arma, per hostes

Quærit iter, tutoque latens sub tegmine pectus.

Aciem dirimit inimicam chalibe vastans obivus princeps; hostibus medium se commiscet,

Ac rotat efferus

Undique ferrum,

Quo ferit obvios,

Proterit alios,

Et ruit omnis

Tactus ab illo.

Vadunt utrinque miserandi, quos a tergo laniant commilitones de la Busche, deputatique sibi sagittarii grandine diro confodiunt, laceatur ex tunc tota Francigenum bellica forma.

Hic furor Edwardi serit hic sua fulmina princeps,

Nec tamen hic voluit tantum prosternere, quantum

potuit ex adversa gente prosterni, sed turbatas acies intervalans, et armatos rarius consertos inferiorum victoriis dimittens, ad robur coronati validis cuneis adhuc stipati, rapido nisu dirigit gressus metuendos. Tunc vexilla titubarunt, vexillarii corruerunt, hi sua viscera fusa calcarunt, alii dentes evomuerunt, multi terræ fixi fuerunt, nonnulli stantes brachia præcisa perdidit. Hi morientes alieno cruore se volutarunt, pondera lapsa gemuerunt, et animæ superbæ, corpus ignavum deserentes, diros gemitus emisit. Cruor servilis et sanguis regalis uno gurgite cucurrerunt et vicina fluentia purpurantes, pisces delicato nectare paverunt. Sic furit aper Cornubiensis, qui

Solas sanguine fusas

Gaudet habere vias

ad stationem coronati. Hic validissimorum trux resistentia reperitur, pugnant Anglici, repugnant Gallici, quorum dux licet ætatis præmaturæ, attamen ira juvenescens tironis, egregios geminat actus, hos excerebrans, alios confodiens, his ora rescindit, aut facies contundit, illos eviscerat, quosdam detruncat, per omnia monstrans quod a regali stipite Franciæ non omnino degeneravit, sed tandem fortuna rotæ vertiginem præcipitante, Walliæ princeps intrat in hostes, et quasi læna sæva, generositate domitis superbis, parcat subjectis, et cepit coronati deditionem. Interim Gallici

per rura Pictaviæ spatiose diffusi, considerantes depressionem stationardi liliati, fuga velocissima vicinam civitatem petierunt. Anglici vero ullius quamvis horribiliter sauciati, nec alicujus laboris, licet graviter vexati, præ gaudio vitæ victoriæque recordati, Gallos fugaces ad portas Pictavienses persequebantur, ubi certamine periculoso bene verberati strage magna fuderunt Francigenas, et multo plures peremissent, si non fuissent diligentiores ad capturam pretio vitæ redimendorum, quam circa triumphum principalem. Demum clangore tubarum nostris in unum revocatis, per arva papiliones et tentoria figuntur, et curæ vulneratorum, quieti fessorum, tutelæ captorum, recreationique famelicorum, tota cohors alacris indulsit, donec percepto quod de sua comitiva defuerunt eis honore militari digressi viri, pro quibus requirendis et vivis aut mortuis in castra ducendis, pietate pleni destinantur. Igitur, ut quisquis ægre tulit absentis amici periculum, sic festinus ad Martium campum querulus currit, et inter aggeres occisorum reperiuntur vix palpitantes, qui pro justitia regis Anglorum et honoris principalis integritate, sed et exercitus tuta salute, strenuo labore tabescentes, teste sudore, consumpto sanguinem proprium large fuderunt, quorum nonnulli nobiles animas pro amicis posuerunt, præmiumque maximæ caritatis, sanctis promissis invictissimæ veritatis regna coelestia

victoriose receperunt. Inter semivivos vix anhelantes repertus dominus Jacobus Dawdeleye, lato scuto superpositus, piissimis brachiis commilitonum fessis fessus, sancius sancius, cruentis exanguis, ad hospitium principis fertur. Inventario tam pretioso tota familia sedulis votis obsequebatur, ipseque princeps ab ea sede, qua cœnaturus juxta coronatum residebat, laudabilissima pietate resurrexit, et fere lacrimans osculabatur frigida labra cruore squalida vix spirantis sui carissimi, demumque nudum lecto delicato reclinatum, paulisperque suæ memoriæ revocatum confortavit, asserens pio juramento, quod habuit deditum coronatum, nempe de novis ultra modum desideratis, nulli credidit languidus heros, nisi principi referenti, quibus creditis revixit. Tunc reversus princeps coronato, suggestit ei, ne putaret opus indignum se fecisse, dum surrexit a cœna confortaturus illum fere morientem, qui neque sanguini neque saluti propriis pepercit, quin exposuit ea periculo perditionis, ne principalis honor liberetur. Post audita descriptione togæ militaris Jacobinæ, dixit coronatus, quod inter cæteros fortiter agentes valde mirabatur illius militis fortia facta terribiliter et diu continuata, nec multa plura fuerat ea cœna loquutus, nisi quod principi nativa pietate nobilem prædam confortanti, similia talibus verba rependit: "Inevitabilem licet dolorem, tamen ut decet sub



mensura dignum duximus cohibere, quamvis enim nostro generoso consanguineo subjiciamur jure belli, non tamen instar sceleratorum seu vecordium fugitivorum sub latibulo fuimus capti, sed more militum magnanimorum pro justitiæ causa vivere morique paratorum, Martis arbitrio sumus translati de campo nostro, quo fuerunt divites capti, pretio salutis reservati, vecordesque reprobi profugati, sed valentissimi vita magna spoliati." Proxima die post prælium, connumerati sunt captivi: coronatus, qui vocatur a suis rex Francorum: item dominus Philippus filius ejus: item archiepiscopus Senonensis, comes Pictaviæ, comes D'Eu, comes de Langeville, comes de Tankerville, comes Daunterre, comes de Vendadour, comes de Saunterre, comes de Wademont, comes de Vendouisie, comes de Juyny, comes Doumartyn, comes de Salabruse, comes de Sasso, vicecomes Nerbone, dominus Daubyn, marescallus Dawdenam, dominus Gynchard de Angle, senescallus de Centonge, dominus Mauricius Mawmynet, dominus Reginaldus de Guoylhoy, senescallus Pictaviæ, magnus præceptor sive magister hospitalis Hispaniæ, dominus de Saint Tyger, dominus Damboyde, senescallus de Anuare, dominus de la Tour, dominus Dars, dominus Durval, dominus de la Ville, Ernaldus de Maungeler, dominus de Plaunk, vicecomes de Bellomonte, et dominus

de Sully. Corpora quoque reperta fuerunt occisorum, ducis de Burbone, ducis Datenes, constabularii Franciæ, marescalli de Claramonte, domini Godefridi de Charny, domini de Pomis, episcopi Chalonensis, domini de Laundas, domini de Rippemont, domini de Chaveny, domini de Joole, domini de Neel, domini de Aunge, domini de Mount Johan, domini D'Argentone, domini de Broose, domini de Raas, domini de Rochechicheward, et domini de Vilem. Omnes captivos a suis magistris princeps emit, et adduxit Burdegalim, custodiæ securæ deputandos. Principi Burdegalis demoranti, misit nuntios præfatus cardinalis Petragoricensis, petens per eos securum conductum veniendi et loquendi cum principe: tandem obtento, quod petivit, excusavit se domino principi de eo quod ipso minus utiliter tractante de pace pridie diei belli, quamvis sine scitu suo, tamen ipsius occasione fuerat Francis tempus idoneum ministratum, quo crevit exercitus illorum, unde potuisset dominus princeps credidisse quod sua fraude fuisset ille dolus ingeniatus. Tandem principe ratificante reverendi patris excusationem, cardinalis ut amicus acceptatus est, et captivi Gallicorum tam obnixè precibus devotis institerunt domino principi, quod concessit eis diem tractandi de pace, scilicet quintum decimum post Nativitatem Jesu Christi, ita quod Anglicis apud Blaynes et

Gallicis apud Mirabel demorantibus, inter oppida præfata pax finalis ordinaretur. Sed ne sine domini regis sui patris auctoritate beneplacita talia princeps tractaret, scripsit ei veram seriem gestorum per viros ordinis militaris, dominos Neil de Leheryn et Rogerrum Totesforde, nulla tamen pax optata sequebatur per duos annos continue sequentes.

FINIS ISTIUS CRONICÆ CONTINENTIS FOLIA 47.

NOTA.—*Codex Bodleianus ad imam paginam 141 b, habet sequentia: sed cui loco operis inserenda sint, fateor me nescire*—“præliatorum. Ubi dispositis domino Bartholomæo Bourghasche et aliis ad incendendum suburbium Turoniæ, quolibet trium dierum post incepti itineris clarum tempus et quietum, incepit tonare et cælum ita contenebrare, quod sine dubio merito sancti Martini custodis civitatis Turonensis hostes prohibiti fuerunt a villæ combustione.”—*Vide pag. 250, l. 20. ubi occurrit vox præliatorum.*

**OXONII:**  
**EXCUEBAT I. SHRIMPTON.**

